

**Sacra embryologia : sive de officio sacerdotum, medicorum et aliorum circa aeternam parvolorum in utero existentium salutem, libri quatuor; / auctore ac interprete Franc: Emmanuele Cangiamila.**

### **Contributors**

Cangiamila, Francesco Emmanuele, 1702-1763.

### **Publication/Creation**

Ipris : Apud Thomam Franc. Walwein, [c.1775]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ag9tg2ym>


### **License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







J. Smits

1-2-0

EPB Supp B  
60526/B

20



437

S A C R A  
EMBRYOLOGIA  
S I V E  
*DÆ OFFICIO*  
SACERDOTUM, MEDICORUM,  
ET ALIORUM  
CIRCA ÆTERNAM PARVULORUM IN UTERO  
EXISTENTIUM SALUTEM,  
*LIBRI QUATUOR;*  
AUCTORE AC INTERPRETE  
FRANC: EMMANUELE  
*CANNING TADMILL*  
S. THEOL. ET U. J. DOCTORE,

Panormitanæ Ecclesiæ Canonico Theologo, &  
in toto Siciliæ Regno contra hæreticam  
pravitatem Inquisitore Provinciali,

*IN COMPENDIUM REDACTI.*


*Videte, ne contemnatis unum ex  
bis Pusillis. MAT. 18. 10.*



I P R I S ,  
Apud THOMAM FRANC. WALWEIN, Typogra-  
phum Illust. ac Rev. Domini Episcopi.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30549346>



ILLUSTRISSIMO  
AC  
REVERENDISSIMO  
DOMINO,  
*D. FELICI JOSEPHO HUBERTO*  
**DE WAVRANS**  
IPRENSIUM EPISCOPO.

*ILLUSTRISSIME AC REVE-  
RENDISSIME DOMINE,*

Osteaquàm præstantissimum  
Eximii Doctoris FRANCISCI  
EMMANUELIS CANGIA-  
MILA Opus, *de Officio Sa-*  
*cerdotum & aliorum circa æternam Par-*

*vulorum in utero existentium salutem, in  
Epitomen redegeram; nihil magis in votis  
habui, quam ut laboris mei quantuluscum-  
que Fœtus, quovis modo utilis evaderet iis  
Infantulis, in quorum gratiam illum susce-  
pi; maximè verò ope illorum, quibus præ  
cæteris incumbit satagere de æterna eorum  
salute.*


Hunc in finem nequaquam dubitavi, **I L-  
L U S T R I S S I M E D O M I N E ,** No-  
mini tuo Opusculum consecrare, tuisque  
committere auspiciis. Ut enim auderem hoc  
ipsum & deprecarer, persuasit ipsa præcel-  
lens Operis Materies; impulit assidua illa,  
quam geris de æterna Parvulorum salute,  
solicitudo verè paterna; cuius certè, inter  
tot alias gravissimas curas, statim à suscep-  
to Episcopatūs onore, toti Diœcesi præclara  
exhibuisti specimina.

Testis sit *Instructio* tua *Pastoralis*, cuius  
laus in ore omnium; testes innumeræ illæ  
Encyclicæ, ad Venerabiles DD. Pastores,  
coöperarios tuos fidelissimos, continuè di-  
rectæ, quibus nunc Scholarum curam com-

mendas ; nunc Catechisticam Puerorum Instructionem urges ; nunc , ut dignè & tempestivè ad Confessionem & Sacram Communionem erudiantur & admittantur , monitadas , Leges præscribis , Cæremonias instituis ; super omnia autem & præcipis & insistis , ut Regia Edicta , Provincialia & Diœcesana Statuta , RR. Prædecessorum Ordinationes , ipsæque tuæ ( quibus injungitur , ut , quâ potest , in omnibus locis probæ peritæque Obstetrices constituantur ) ab iis , ad quos spectat , observentur religiosissimè : In id videlicet intentus , ne seu Obstetricum , seu quorumvis aliorum incuriâ aut inficiâ , Infantorum quisquam miserè intereat , aut etiam non tinctus Sacro salutis Lavacro pereat æternùm .

Multa sunt , fateor , ac etiam æmulazione digna , REVERENDISSIME DOMINE , quæ in hac parte Ministerii tui præstitisti pro bono tum corporali , tum spirituali Parvulorum , illorum nominatim , de quibus mox dicebam : At ( pace tuâ ) plura desiderabantur ; quoniam ne vel sic

quidem Infantulis satis unde quaque cautum erat. Desiderata supplebit Opusculum , quod humillimè Tibi offero: Supplebit profectò , & expetitum haud dubiè producet fructum , si ejus lectionem & studium , ab argumenti dignitate & utilitate tuis in animarum Ministerio Coöperatoribus commendare digneris. Ego sanè , ILLUSTRISSIME DOMINE , id Te , pro tenerimo tuo erga Parvulos amore , sedulò facturum , non immeritò confido ; ubi , quod Te enixè rogo obtestorque , conatus mei munusculum benignè exceperis , cùm in meæ in Te observantiæ , tum in tuam Diœcesim officiositatis perpetuum monumentum.



B R E V I A T O R  
A D  
L E C T O R E M .

**E**Rustrà ego in celeberrimi Operis FRANCISCI  
EMMANUELIS CANGIAMILA laudem excurrerem,  
ejusque excellentiam deprædicarem; cùm tot  
præclarissimorum eruditissimorumque Virorum  
judicia, de eo lata, atque hic potiori ex parte  
citata, illius Elogium luculentè & abundè con-  
ficiant, simulque dignissimum statuant, ut huic  
omnium atterantur manus. Verùm, quia prop-  
ter diffusam rerum verborumque multitudinem,  
prolixitatem quamdam continet; verendum est,  
ne plerique, ad quos potissimum ex officio atti-  
net, ob otii brevitatem, ab expetita ejus lec-  
tione abducantur vel inviti. Hinc non abs re-  
fore existimabam, si in contractiorem formam  
redigeretur, eò utique magis Infantorum, in  
quorum gratiam scriptum est, utilitati cessu-  
rum, quò magis commoditati legentium adap-  
tatum. Quapropter, ex multorum votis, id con-  
sili meliori, quo possem, modo sum executus;  
summario complectens ex latino Archetypo [sive  
is spectetur prout in folio & in quarto editus  
est uno volumine; sive prout in octavo volumi-  
nibus tribus: Nec enim multum differt alter  
ab altero] quidquid judicabam facere ad pri-  
marium Auctoris scopum, qui, uti Titulus  
manifestè præfert, ad Parvulorum æternam ten-  
dit salutem.

Ejusdem quidem Operis Epitomen Parisiis  
Anno 1766. vulgavit Idiomate Gallico D. Di-  
nouart: Sed, præterquam quodd hæc, quam tra-

do, minus illâ diffusa sit, minusque voluminosa; conscripta est insuper lingua, omnibus Viris Ecclesiasticis, quorum præceteris instructioni inservire debet, quodammodo propriâ, atque adeo prorsus intelligibili.

Porro, in bocce Compendio eumdem, quem habet Auctor, ordinem librorum, eumdem stylum, eumdem sensum, imò & eadem, quantum licet, verba servo; ejus tamen Materias, & Capitum, Numerorum, Periodorumque seriem, ne scilicet à proposito meo aberrarem, non ita exactè sum secutus; sed neque sequi potui. Materias itaque quasdam omisi, vel quia minus ipsius Auctoris fini accommodatas, vel quia minus necessarias, vel denique, quia alio loco sufficienter tractatas: Capita vero aliquot divisa, quæ magnam inter se habent connexionem, in unum titulum congesi; nonnulla etiam, quod & de paucis numeris feci & Periodis, transposui, hoc pacto non minus claritati consulturus, quam brevitati: Verbo, fusioris Operis dare volui Synopsim. Quæcumque autem tum omissione, tum transpositione immutanda censui, hæc ferè Asterisco [qui quoties apponitur, toties designat, non esse Auctoris, sed Breviatoris notam] signari curavi; ut, si quis Archetypum consulere cupierit, ea statim in ipso, sine ulla difficultate, suo quæque loco reperire possit. Quem quidem Archetypum quisquis cum hoc Opusculo conferre non fuerit gravatus, clare intelliget, quantum quantum est, Fætum esse FRANCISCI EMMANUELIS CANGIAMILA, solamque modo prædicto contractionem, laboris mei esse fructum. Faxit Deus benignissimus, ut, quod ad ipsius gloriam, Parvolorum salutem, atque legentium usum est institutum, benevolè recipiatur, & optatum feliciter assequatur finem.

BEATIS-

BEATISSIMÆ VIRGINI  
MARIÆ,  
DEI MATRI,  
ANGELORUM HOMINUMQUE  
*R E G I N A E*,

FRANCISCUS EMMANUEL  
CANGIAMILA

*Clientum, ac Servorum ejus omnium  
minimus.*

Ebebatur quidem, augustissima  
Dei Mater, tuis in me Bene-  
ficiis, quæ & magna sunt, &  
plurima, ut Opus hoc, quale-  
cumque sit, tibi dicatum pro-  
diret, & secum obsequentis, gratique animi  
pignus offerret; eoque magis, quod ipsum

A

libri hujus argumentum, ut cætera desint,  
id expetere videbatur: Quando scilicet ad  
æternam Parvulorum, adhuc matrum utero  
conclusorum, salutem pertineat. Horum tu  
quidem, sicut & reliquorum hominum, Pa-  
rens evasisti amantissima, cùm Salvatoris  
nostrí Genitrix dicta es, maternaque ipsos  
complecteris charitate. Cujus profecto rei  
illud satís apertum erit indicium, quòd, Uni-  
genito Dei Filio in Uterum tuum vixdum  
illapso, in id ante omnia cogitationem, cu-  
ramque tuam convertisti, ut ad domum Eli-  
sabeth festinares, quo Joannes, maternum  
adhuc ventrem inhabitans, communi maculâ  
expiatus, Divinam iniret Gratiam, cœlestibus  
cumulatus beneficiis; licet & itineris dif-  
ficultas, & amplissima, quâ nuper aucta  
fueras, dignitas id minimè pati viderentur.  
Nimirum, in Infantulo tuo JESU Infantes om-  
nes intuens, in eos ineffabili dilectionis im-  
petu ferebaris, Deoque Patri JESU CHRISTI  
merita, obsecrationesque tuas offerebas, ut  
tenelluli hujusmodi Homunciones, primævæ  
culpæ vinculis aliquando soluti, in liberta-  
tem Filiorum Dei affererentur: Quò magis  
enim ab illa labe immunis fueras, ac singu-  
lari dignatione præservata, ed clariùs damna  
indè profecta, atque Humano Generi miser-  
rimè illata perspiciebas, tantam aversata fœ-  
ditatem. Illud autem etiam accedebat, quòd  
non exiguum tu ipsa fuisti suscepti laboris, &  
industriæ incitamentum: Videbam etenim


fore, ut, quotquot Infantum spiritus, vigiliarum mearum contentione, atque adminiculo, Cœlesti luce ornarentur, totidem ad Caput tuum adderentur veluti sydera, syderibus ipsis longè fulgidiora. Quod verò ad officium meum attinet, mihi met ipsi ad blanditus sum, in animum inducens, hujus conficiendi Operis voluntatem, Clementiæ tuæ probatam fuisse; quoniam in eo concinnando, innumeris penè distentus curis, rem omnem, si non prorsus ex voto, ac pro materiæ sublimitate, pro modulo tamen meo aliquando extricaverim: quod, nisi auxilium tuum ad adfuisset, perficere posse, meritò desperassem. Id igitur tibi assignandum est, & omni jure tribuendum. Nec tamen modicum ex re ipsa, officioque erga te meo fructum me spero assecuturum: Confido enim, te à Domino impetraturam, ut, quicumque Librum hunc legerint, vehementiori servandorum Infantulorum studio inflammentur; atque ideo, quod unum specto, Animularum istarum messis quam copiosissima existat. Hoc ego unum eâ, quam par est, sincera mentis demissione à te votis omnibus peto: Quod etiam à te videtur exposcere infinita illa Divinæ Charitatis abundantia, quam suadente, æternus, omnipotensque Dei Filius, ut Humanum Genus restitueret, mortales artus in Utero induit tuo: In quo novem præterea menses inter maternorum Viscerum angustias immoratus, indè profiliit in lucem tuus jam Filius, virgineo, purissi-

moque à te editus puerperio. Tuo , quæso ,  
integerrima Virgo , atque piissima , obversen-  
tur animo blanditiæ illæ , quibus peramanter  
JESULUM tuum prosequabar , cùm eum in  
sinu jucundissimè foveres , ab eo vicissim si-  
milibus amoris incitamentis , indicisque do-  
nata ; atque in tam dulci recordatione Par-  
vulorum , de quibus agam , custodiam susci-  
pere ne gravēris , ut ad Christiani Baptismatis  
fontem eis pervenire feliciter liceat. Hoc  
quidem , si laboris mei tenuitatem ponderabis ,  
mihi præmium erit amplissimum ; si Poten-  
tiam , & Charitatem tuam respicias , opus  
erit exiguum. Quod ubi petenti benignissimè  
præstiteris , vota scilicet ita explebis mea ,  
ut nihil supra. Post Divinam etenim Gratiam ,  
celssissimæque Majestatis tuæ Patrocinium ex-  
quirendum , nihil umquam antiquius habui ,  
nihil mihi optabilius duxi , quām æternam  
Infantorum salutem studiosissimè procurare.


---

„ Habitabo in medio Hierusalem , & vocabitur  
„ Hierusalem civitas veritatis , & mons Do-  
„ mini exercituum mons sanctificatus. Hæc  
„ dicit Dominus exercituum. .... & plateæ  
„ civitatis complebuntur Infantibus , & Puellis  
„ ludentibus in plateis ejus. Hæc dicit Do-  
„ minus exercituum. *Zachar. 8. v. 3. & 5.*

„ Cùm Humanum Genus multis , atque innume-  
„ ris vitiis sit subjectum , Hierusalem cælestis  
„ maximam partem ex Parvulis , vel Infantibus  
„ arbitror posse compleri. *Petr. Diac. apud*  
*S. Gregor. M. Dialog. l. 4. c. 7.*



JUDICIA ALIQUOT  
DE  
*ÆMBRÆOLOGIA*  
EDITA à  
FRANCISCO EMMANUELE  
CANGIAMILA.



I.

*Sanctissimi in Christo Patris*  
BENEDICTI XIV.,  
*Qui in suo numquam satis laudando, ce-  
lebrandoque Opere de Synodo Diœcesana  
l. II. c. 7. p. 410. §. 13. de prima, &  
Italica Editione ejusdem hæc ait:*

„Ad probandam verò utilitatem, & neceſ-  
„ſitatem Sectionis Cæſareæ, cùm præfer-  
„tim, defunctâ matre, conjicere licet, illius  
„prolem in utero extinctam non esse; pecu-

„ liarem Librum edidit *Franciscus Emma-*  
„ *nuel Cangiamila*, impressum Panormi  
„ Anno 1745., in quo solidis argumentis,  
„ & multa eruditione suscepit causam agere  
„ non prætermisit. „

*Et in Epistola ad Auctorem data Romæ*  
*7. Cal. April. Anno 1756.*

„ Satis libenter in nostro de Synodo Diœ-  
„ cesanâ Tractatu Libri tui de Cæsareo Partu  
„ fecimus mentionem; quippe tum ad tem-  
„ poralem, tum ad æternam hominum vitam  
„ multò conducibilis. „

---

I I.

## FRANCISCI TESTA,

*Olim Panormitanæ Ecclesiæ Canonici, in*  
*Suprema Generali Sicula Inquisitione*  
*Promotoris Fiscalis, ac pro Potestate*  
*Sæculari Librorum Censoris; nunc vero*  
*Archiepiscopi Monregalensis, & Gene-*  
*ralis Inquisitoris.*

**T**N hoc Libro, qui *Embryologia Sacra* inscribitur, quemque summo cum studio, ac animi jucunditate perlegi, nihil offendti, quod Regiis Juribus, Patriisque Institutis adversetur; quin imò Auctoris doctrinā, ac re-

ligione, quibus apud omnes maximè commendatur, dignum existimo. Aggressus enim novam, intentatamque Provinciam, eam sic pertractat, ut nihil magis elaboratum, magisque absolutum excogitari possit. Quamquam omnia ita sapienter, accommodatèque dicat, ut plura dixisse desideres; attamen, quod adjungi possit, difficile occurret. Quidquid enim ex Sacra Doctrina, ex Philosophia, & ex Medicina ad hanc rem illustrandam corrogari umquam poterat, in hoc unum Opusculum derivatum invenies; animique certè pendebis, num Auctor magis Theologum, Phisosophum, vel Medicum hic se præstet. Utinam omnes Sacrorum Ministri, maximèque ii, quibus animarum cura concredita est, eruditionem, quam ex profanis studiis sibi comparant, in id conferrent, ut homines eum, ad quem creati sunt, finem consequerentur; quemadmodum clarissimus Auctor in hoc Opere eò laudabiliùs præstat, quò magis ii, quorum æternæ incolumitati consulere studet, sibi ipsis prospicere nequeunt. Dabam Panormi ad XVI. Cal. Jun. M. D. CC. XLV.

*Franciscus Canonicus Testa.*

III.

LAURENTII MIGLIACCII,

Panormitanæ Metropolitanæ Ecclesiæ Regni Siciliæ Primariæ Canonici, & Archi-Diaconi, S. Officii Qualificatoris, & Consultoris, Judicis, & Examinatoris Synodalis, ac pro Potestate Ecclesiastica Librorum Censoris.

**L**ibrum , qui inscribitur *Embryologia Sacra*, Auctore Francisco Emmanuele Cangiamila Presbytero Panormitano , haud minori sedulitate , quām mentis voluptate percurri ; in eoque nihil omnino , quod vel orthodoxæ Religioni , vel morum Disciplinæ vel in minimo refragetur offendit ; quin imò aureum planè Opus , sacra non minùs , quām profana eruditione refertum , Auctoris Ingenio , & Pietati respondens , perquām dignum existimo , ut publicæ utilitati animarum simul , & corporum consulturum , quām primùm in lucem prodeat. Dabam ex meis Ædibus nono Calendas Junias M. D. CC. XLV.

*Laurentius Migliaccius.*

I V.

REGIÆ PANORMITANÆ MEDI-  
CORUM ACADEMIÆ.

PRæclarissimi, & Reverendissimi Domini  
D. *Francisci Emmanuelis Cangiamila*, in hoc Siciliæ Regno contra hæreticam pravitatem Inquisitoris, bipartita Dissertationo, cuius prima Pars de nascentibus Pueris, qui sæpè vitâ spoliati apparent, cùm reæ vera vivant, deque remediis ad eos ad vitæ officia revocandos, copiosissimè disputat: altera verò, de Submersis, diu quandoque in aquis vitam retinentibus, deque iis curandis, quamquam sub mortuorum figura educti sint, quam Dissertationem celeberrimæ suæ Embryologiæ nuper ipse addidit; ita Philosophicis, ac Medicis rationibus, observationibus, & experimentis fulcitur, atque insignitum Auctorum Monumentis confirmatur, ut Regalis Jatro-Physicorum Academiæ Panormitanæ Doctoribus seriò exposita, summoperè illis arriserit, atque probata fuerit. Quapropter eam, utpote veritati eximiè consonam, unanimi plausu, magno Reipublicæ bono typis omnino vulgandam esse censuerunt. In cuius rei testimonium præsentes, omnium, & singulorum nomine subscriptas,

& Sigillo ejusdem Regalis Academiæ communitas, libentissimè dedimus Panormi Die 11. Novembris 1756.

*D. D. Antonius de Miceli, Regalis Medicorum Academiæ Princeps.*

*D. D. Carolus Salipegni, ejusdem Academiæ Assistens.*

*D. D. Dominicus Rizzone, ejusdem Academiæ Assistens.*

*S. T. & A. M. D. Sac. D. Hieronymus Battaglia, ejusdem Med. Academiæ Exprinceps, & Censor.*

*D. D. Petrus Lorito Cancellarius.*

---

---

Simile in favorem ejusdem Operis  
tulerunt Judicium,

*Angelus Serio, S.T. & U. J. D. Divi Jacobi ad Mare Panormitanæ Urbis Parochus, & in Siciliæ Regno contra hæreticam pravitatem Inquisitor.*

*Doctor Augustinus Gervasius, in Urbe Panormitana Protomedicus Consultor, ac in Supremo Generali Sanitatis Magistratus Deputatus.*

*Epiphanius Guarnera, Abbas Ordinis S. Basillii Magni, & Panormi Librorum pro Ecclesiastica Jurisdictione Censor. Et alii, quos vide in Archetypo.*



# PROEMIUM

FRANCISCI EMMANUELIS

C. A. N. G. I. A. M. X. L. A.

IN SUAM EMBRYOLOGIAM SACRAM.

**D**esiderium Infantulis iis opitulandi,  
qui parentum, aliorumque sive incuria, sive  
impietate, priusquam in lucem prodierint,  
vitam amittunt, vel cum matre ipsa defuncta  
vivi sepeliuntur, vel in difficulti partu oppor-  
tunis destituti auxiliis, infelicissime, ac sine  
Baptismate pereunt; ad hoc me Opus conscri-  
bendum, amice Lector, suasit, & impulit.  
Cum enim Archipresbyter Palmensi Paro-  
chiæ annos fermè duodecim præfuerim,  
experiendi didici, quam utilis, commodus-  
que, ne dicam omnino necessarius, futurus  
esset Liber, quo ea pars doctrinæ contine-  
tur, quæ ad rectè constituendam, erudien-  
damque hanc in re, præsertim optimi Pas-

*toris, industria* *am facit. Et sanè, ut Au-*  
*gustinus ajebat: (a) Si Pupillis opem ferre*  
*præcipimur, quantò magis pro Parvulis la-*  
*borare debemus, qui destitutores, & misé-*  
*riores pupillis, etiam sub parentibus, rema-*  
*nebunt, si eis Christi Gratia denegabitur,*  
*quam per se ipsi flagitare non possunt? Quam-*  
*vis autem salutis horum infantium cura ad*  
*Parochos præcipue spectet; Operis tamen*  
*titulo Sacerdotes universim signandos ex-*  
*istimavi: Satis enim cuique perspicuum est,*  
*ea documenta etiam ad alios Ecclesiastici*  
*Ordinis Viros procul dubio pertinere; cùm*  
*constet, omnes ad unum Sacerdotes in hu-*  
*jusmodi rerum eventibus perinde ac Paro-*  
*chos esse, & ad salutem Parvolorum eam-*  
*dem, quam illi, opem, operamque præstare*  
*posse. Accedit, quòd non Parochis tantum,*  
*sed & Presbyteris omnibus tum inter Con-*  
*ciones, & Sacram in primis Catechesim;*  
*tum in Apostolicis Excursionibus, & in*  
*Confessionibus excipiendis persepe occasio*  
*se offert, multa rudiores, præsertim con-*  
*jugatos, edocendi, quæ ad rem, de qua*  
*agimus, maximi sunt momenti, & in præ-*  
*senti Codice passim occurrunt. Attamen,*  
*quia non raro inutilis esset Sacerdotum*  
*zelus, ni quoque suam & ipsi manum Prin-*  
*cipes, Medici, Magistratus, Antistites de-*

(a) *S. August.* de Peccat. merit. l. 3. c. 13.  
Edit. Maurin.

nique admoverent; res ipsa omnino expos-  
cere visa est, ut de his etiam singulatim  
explicetur, quemadmodum sua quique stu-  
dia, viresque ad animarum, & reipublicæ  
bonum in tanto negotio conferre potissimum  
debeant. Neque tamen mibi quidem satis  
putavi, si tantum quasi voce præirem, tan-  
tumque si ostenderem, quid unicuique pro  
ratione sui muneris factio esset opus: verum  
etiam necessarium prorsus reputavi, id ip-  
sum, quod singulis faciendum subinde mo-  
neretur, ita perpendere, ac illustrare, ut  
inde innotesceret, nihil hic à me postulari,  
quod plus nimio exquisitum, ac omnino su-  
perfluum videri queat; nihil, quod rationi,  
aut Majorum doctrinæ, atque auctoritatí  
non innitatur; denique, quod Philosophiæ  
non sit apprimè consentaneum. Nam verò  
vix credi potest, quam optabile in univer-  
sum; quam verò conducibile esset, ut Pa-  
rochi omnes, priusquam ad Sacrum hoc  
Munus adsciscerentur, aliquid de Arte  
Medica delibarent: Neque enim raro con-  
tingit, in pagis, oppidulisque præsertim,  
ut Curialis Presbyter, ad quem unum vi-  
delicet in quibuscumque periculis, infor-  
tuniisque identidem concursare populus so-  
let, propter inopiam ejusdem Artis Pro-  
fessorum, non modò animi, sed etiam cor-  
poris Curatorem, ac Medicum per se ipse  
agere quandoque adigatur: Cui proinde  
ea in primis callere utilissimum erit, quæ

*in hoc Opere contraduntur; ne ab imperitis, Medicis, ac Philosophis, qui persæpe non pauca ex præjudiciis, aut ex male intellectis Magistrorum suorum opinionibus, velut indubitata definiunt, à præstanto miserrimis Infantibus certo, præsentique adjutorio abduci se sinant.*

*Librum græco vocabulo Embryologiam inscripsi: Latinum enim, quod integrum Operis imaginem satis exprimeret, non habebam. Cæterum Embryon, græcè fœtum, quamvis perfectum, & animo jam informatum, imò quandoque natum etiam, significat; quemadmodum ex Homero, Phocylide, Aristotele, atque Dioscoride Lexicographi manifestè adnotavere. (a)*

*Fortè non probabunt plerique, me ad monita subinde munitiora descendere. Verum, cùm praxim spectare, ac illam, quām accuratiū possem, certam omnibus, ac planam facere, id tandem propositi mei pars omnino præcipua sit; nihil, tametsi minimum, prætermittere tutum erat, quod, experientiā teste, ad præstitutum mibi finem, & scopum quoquomodo collineare posse videretur: Satius enim esse in rebus magni momenti prudentes autumant, si modus, in alterutram partem aliquatenus deflectendo, excedendus sit, per exuperantium potius, quām per diligentiae defectum offendere.*

(a) Vide Scapul. in Lex.

*Cogor equidem non nulla pro meo instituto  
involuntariè attingere, eaque identidem,  
neque raptim explicare, quæ verecundia  
detrectaret, quæque omnium oculis legenda  
parum securè subjiciuntur. Quapropter  
fortasse non deerunt, qui arbitrentur, con-  
venientius fuisse, vel ab ipsa prima Libri  
editione latinè scribere. Sed hic naturâ suâ  
nequaquam postulat, ut omnium manibus  
deteratur: Ipse enim titulus satis per se  
loquitur, quibuscum res mihi sit, quasque  
in manus venire suopte ingenio Liber ex-  
poscat. Viros quandoquidem graves, &  
cordatos petit, quales ubique Parochos,  
Medicos, Magistratus, Principes, Epis-  
copos esse credendum est. Deinde, cùm ple-  
raque occurrerent exotica, & à vulgari  
loquendi consuetudine aliena, veritus non  
immeritò sum, ne Sacerdotibus, & Magis-  
tratibus exiguum pagorum Popularibus  
meis, quibus maximè consultum volebam,  
difficiliora captu, minùsque proindè utilia  
redderentur. Qui tamen æquè Linguam  
Latinam, ac Italicam tenet, non indecen-  
tiùs ea leget hoc, quam illo idiomate con-  
scripta: Neque verò, ajebat Clemens Alex-  
andrinus, (a) nobis turpe est, ad auditorum  
utilitatem nominare partes, in quibus fit Fœtûs  
conceptio, quas quidem Deum fabricare non  
puduit. Scribendum ergo primùm Italico*

(a) Clem. Alexand. Pædag. l. 2. c. 10.

Sermone, quām modestissimē possem, judicavi, meorum Popularium gratiā: Nunc verò, eadem non nulla sanè parte pleniora, atque elimatiōra, imò novis, variisque tractatibus aucta, Latinitate donavi, ad Gentium etiam exterarum intellectum, & quod spero, exoptoque, utilitatem. Qua in re proinde, non ita quidem puritati sermonis, aut elegantiæ deservire studui, ut claritati; ne delectare Lectores potius, quām iisdem, causæque à me susceptæ prodeesse contendarem.


Quam ob rem etiam Litterarum Cultores oro, ut, pro facilitiori etiam rudiorum usu, Librum, quamvis per se tenuem, si modò ipsis ad animarum salutem aliquid contribuere posse videatur, suæ quisque gentis proprium efficere satagant. Quocircà brevi Orientales Populi ejusdem Compendium, à me olim editum, & nuper ab Anonymo in vernaculam Græcorum Linguam translatum, fortasse habebunt. Ea verò, quæ scribo, nedum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Censuræ, sed & Monitionibus, Correctionibusque Eruditorum libentissimè submitto; qui, si quid hoc in Libro deprehendent, quod minus rectè assertum, aut pronunciatum putent, me amicè de eo commonere dignabuntur: Profectò non tantùm id æqui, bonique faciam; sed me ipsis plane devinētum profitebor.

LIBER



# LIBER PRIMUS

De Cura à Parochis, aliisque habenda Infantium, tum non-natorum, ne aboriantur, vel in Matris utero extinguantur; tum etiam abortivorum, ut baptizentur.



## C A P U T I.

*De Industria Parochi, ut præcaveantur  
Involuntarii Abortus.*

I.  TERNÆ Parvolorum salutis maximam habendam esse rationem, cordatorum nemo ignoraverit. Inclytus quidem ille Indiarum apostolus *Xaverius*, eorum Christo lucrandorum sipientissimus fuit; ac de eorum Baptismate, à se per infinitos labores, ærumnas atque pericula toto oriente ministrato, mirè exultabundus, Alumnis suis & Sociis, eundem erga illos præcellentissimi zeli

ardorem afflare sæpiissimè conabatur. [a] Imò, cùm ipsorum plurimi, à se baptizati, ante usum rationis in Cœlum evolarent, eorum sibi enixè expetebat patrocinium. Et profectò sapienter: Ecclesia enim de hujusmodi Parvulorum beatitudine certa, non solùm eos cum pompa & lætitiæ signis, ac summæ Trinitatis glorificatione ad sepulchrum à cæteris distinctum dederit; sed & in eorum funeris officio, ipsorum in communi opem unà cum beatorum Angelorum præsidio exposcit, quorum confortio aggregantur. [b]

2. Quæ cùm ita sint, quis umquam negare audebit, etiam non-natorum Infantulorum æternæ felicitati summâ curâ prospiciendum? Admiranda solis beneficentia ad omnia viventia se extendit, etiam minima insecta, quæ terræ latibula inhabitant; nec est, qui se abscondat à calore ejus. Simili sanè ratione, Sacerdotum Christi charitas omnibus hominum generibus consulere debet, quamvis lúcem istam nondum aspicientium, sed maternis visceribus inclusorum. Hoc autem præ cunctis aliis de

[a] Sanctus Franciscus Xaverius *passim* in suis Epistolis. Item Tursellinus in ejus Vita.

[b] Rit. Rom. de Exeq. Parvul. \* ubi monet Parochos, ut pro Corpusculis Parvulorum Baptizatorum, in Parochialibus aut illarum Cemeteriis, quatenus commodè fieri potest, speciales & separatas Sepulturas habeant, seu fieri current, honoris causâ qui illis debetur.

animarum Pastoribus dicendum: Imò verò una è majoribus curis, quæ Parochi animo, qui verè Parochus sit, insidere consuēvit, circa non-natorum salutem versatur. Neque id mirandum: Tridentinum enim docet, [a] *Parochos pauperum, & miserabilium personarum curam paternam gerere Divino iure tenéri.* Porrò, quis unquam non-natis pauperior, aut miserabilior? Hi enim non solùm exterioribus bonis, sed & ipso rationis, & sensuum usu carent; imò Divinæ Gratiæ expertes, ad eam consequendam non modò actibus suis cooperari penitus nequeunt; sed nec ab aliis in statu illo, Sacramentorum incapaci, auxilium petere, vel accipere possunt. Quo fit, ut eorum, in spiritualibus præsertim, indigentia extrema sit, ac planè singularis.

3. Controvertitur inter Theologos, utrūm non-nati proprio gaudeant Angelo Tutelari. Illud indubitatum, eos peculiarem alium Sacerdotem, cuius curæ ac sollicitudini præcipue commissi sint, non habere, quām matris Pastorem, qui eorum visibilis & Tutelaris est Angelus, ad quem tempore debito spectabit illorum Baptismatis Ministratio. Ipse igitur eos inter suos quodammodo Catechumenos à Divina Providentia sibi creditos, ac futuros olim spirituales Filios computabit. Hæc autem sollicita cura in tribus præsertim

B 2

[a] *Trident. Sess. 23. de Reform. c. 1.*

capitibus continetur. Primum erit, Abortus præcavere, qui vitæ corporali Pueruli semper noxii, frequenter etiam spirituali funesti sunt; cùm facilè Infans, vel ante Abortum ipsum in ventre, vel statim post illum, & ante Baptismum, extingui soleat: Invigilare insuper, ut Abortivi ritè baptizentur, ne originali peccato maculati decedant. Secundum est, matre grava quacumque ex causa moriente, diligentissimè satagere, ne Puer in illius ventre cum ea sepeliendus relinquatur; sed Partu *Cæsareo* quamprimum extrahatur, ut vivere possit, aut saltem baptizari. Tertium erit, instare, & efficere, ut in partu difficiili Medici opportunis remediis, & ipso Partu *Cæsareo*, si expedit, periclitanti Fœtui succurrant.

4. Et quod ad primum attinet, scilicet ad curam pro impediendis Abortibus; ii duplices sunt speciei, *Involuntarii*, & *Voluntarii*. Causæ, à quibus oriuntur *Involuntarii*, sunt ferè sequentes.

I. Mariti in percutienda, vel vexanda uxore sœvitia.

II. Mulierum imprudentia, ac temeritas in arripiendis itineribus, vel elevandis ponderibus, quæ vires, pro statu saltem gravitatis, excedant.

III. Non degustati cibi, vel potionēs, quorum libentiorem appetitum phantasia excita-  
verit: Sæpe enim Gravidas importuna vere-  
cundia, aliæque vanæ rationes à postulanda

hujusmodi alimentorem delibatione, cum maximo Prolis, ipsarumque damno, retraxerunt.

IV. Intemperantia, & vecordia, quâ illæ propriæ sanitatis, & virium conservationem non raro contemnunt.

V. Rixæ, à quibus tristitia, terrores, iræ, persecutio[n]es, aliaque infortunia oriuntur.

VI. Immoderata jejunia. Quo-circà notandum, prægnantes, expleto tertio mense, jejunii onere non tenèri: Nam loco illius sesquilibræ sanguinis, quæ in tributis lunaribus, jam conquiescentibus, emitti solebat, tantumdem chylosæ substantiæ ad Fœtum dirigitur, in ejus alimoniam cessurum. Post tertium verò mensem, Fœtui grandiusculo, & abundantiori nutritione jam indigenti, non sufficit amplius: Qua propter, ut matres copiosius alimentum communicent, jejunii lege solvuntur. Eximendæ etiam vel ab ipsis graviditatis initiis, ubi illud molestè ferant.

VII. Saltationes, seu Choreæ.

VIII. Vester ad elegantiam affectandam nimis angustæ.

Hæc plerique [a] adnotarunt cum *Scipione Mercurio*, [b] qui alia etiam à Gravidis vitanda recenset. Itaque Parochus, cæterique Sacerdotes, qui zelo pro Puerulis fla-

B 3

[a] Nider. in 5. *Præcept. Decal. c. 1. l. f.*

[b] *Mercurial. de Morb. Mulier. lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 1. & alii.*

grant, prædicare non omittent, maritum & uxorem respectivè peccare, si prædicta mala, causas, & occasiones Abortuum non evitent; imò si contrà non satagant apta remedia adhibere, ne sequatur Abortus; & coram Deo parricidas esse non minùs animarum, quām corporum Filiorum. Atque hoc sæpiùs inculcabunt: Frequenter enim Christiani ipsi peccatorum istorum gravitatem, & consequentia mala non perpendunt, eorum immane pondus tantùm admiraturi, cùm illud in statēra Divini tremendique Judicii, periculo suo librari conspicient, ac eo propriam conscientiam opprimi experientur. *Indubitatum est*, inquit Theophylus Rainaudus, [a] *tenēri Prægnantem omnia illa præstare, & omittere jure naturæ, quæ ad Fœtūs, sive animati, sive inanimati, jam tamen concepti, debitam curam præstanta, vel omittenda videbuntur.* Idem de Patre sentiendum. Quocircà Sancti Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & Isidorus cum Clemente Alexandrino, Origene, Burchardo, & aliis [b] docent, Parentes primis septem à conceptione diebus, ac tempore partui proximo, ad abstinentium à maritali congressu obligari propter Abortū timorem. *Rainaudus qui-*

[a] Tom. 14. Tract. de Ortu Infant. per Sect. Cæsar. c. II.

[b] Locos citatos vide in Archetypo nostro l. I. c. I. n. 4.

dem illos à tam gravi onere censet eximendos: Cæterùm illud inconcussum est apud omnes, concubitum, ubi verum Abortūs periculum accesserit, esse semper illicitum. Notavit autem *Bianchius*, [a] ex variis conjugii inordinationibus, ac effræni conjugum libidine, quas Moralistæ nunc mortalis, nunc saltem venialis peccati damnant, non solùm Abortus frequenter manare; sed & vitiosas generationes, partuum difficillimorum, imò desperatorum, & cum matris morte conjunctorum origines.

5. Illud etiam à Parochis, aliisque Sacerdotibus animadvertisendum, sæpe mulieres Abortum pati propter inopiam, quâ vel congruo alimento, si famelicæ; vel opportuno medicamine, si infirmæ, nequeunt adjuvari, vel à laboribus immodicis, si sanitate gaudent, se subducere. Moneant ergo populum, si nos ullo unquam tempore ad eleemosynam teneamur, in iis præcipue circumstantiis obstringi, ne Fœtus scilicet & animâ, & corpore pereat; piisque proinde largitionibus, & Matri & Fœtui periclitanti, summo charitatis ardore subveniendum. Sed, eheu! quam quotidiani paupercularum Abortus! quamque rari homines, qui propriæ immisericordiæ tantum malum adscribant! demum, Prægnantibus in-

B 4

[a] *Bianch. de natural. & vitios. Generat.*  
p. 2. pag. 76.

servire, favore præfertim Prolis, nobile misericordiæ opus est, à S. Ambroſio [a] exemplo Beatæ Mariæ Virginis commendatum; quæ, cùm cæteroqui propriæ domûs solitudine maximè delectaretur, tamen ad Elisabeth festinavit.


6. Involuntarii Abortus, ut & pariendi difficultas, vel impossibilitas, ex diabolica interdum operatione à fortilegorum nequitia proveniunt. [b] Magus Caſtri Bottingensis in Laufana Diœceſi fassus est Judici, effeſſe ſe, ut ſeptem ſuccellivè cujuſdam Muſteris Filioli in utero interirent, & per Abortum emitterentur. Contra hos Abortus cereæ Icones, Agnus Dei nuncupatæ, & similia verè Sacra Amuleta, à Prægnante geſtanda, laudantur; [c] maximè autem indeficiens oratio, ac folida parentum pietas, qnæ remedia ſunt ſuprema.

Cæterū Latina Eccleſia quondam in muſteribus Abortus involuntarios tribus quadragiſimis puniebat: Græca verò Disciplina, ævi etiam præſentis, in hujusmodi Abortus animadvertit, ut patet ex Euchologio, ubi etiam legitur Oratio pro reconciliatione abortientium: Præſumit enim, ex aliqua eorumdem negligētia, aliove peccato Deum Infantis Abortum permifſe.

[a] S. Ambroſ. l. 2. in Lucam. c. 1.

[b] Grilland. Jo. Nider. & Martinus del Rio *Disquisit. mag. l. 3. p. 1. q. 3.*

[c] Ex Cerem. Rom. l. 1. ſect. 7. c. 8.



## C A P U T I I.

*De Parochi, Magistratum, & aliorum  
Officio, quo impedianter Abortus  
Voluntarii.*

1. **E**thnici, & Manichæi videntur Abortus *Voluntarios*, tamquam licitos, ex professio exercuisse. Primis, id exprobrat *Minutius*; [a] secundis, *Augustinus*. [b] Imò *Aristoteles* ipse Abortum antè Fœtūs animationem concedit, [c] proptereà à Patribus, aliisque, præsertim *Tertulliano*, [d] reprehensus.

2. Christiana tamen Philosophia, sive Fœtus sit animatus, sive non, Abortum, & ipsam conceptionis impeditonem damnat, quomodocumque illa fiat; cùm nequaquam liceat, naturam, ad dandam homini vitam se accingentem, disturbare. Nihilominùs non rarò tanta flagitia inter ipsos Christianos emergunt. Atque hæc amarissimi sunt fructus impudici-

[a] Minut. Felix in *Octavo adv. Gentil.* n. 53.

[b] S. August. *adv. Manich. de morib. comm.*

c. 18. & *serm. 144.*

[c] Aristot. 7. *Politic. cap. 16.*

[d] Tertullian. *lib. de Exhort. ad Castit.* & *Apolog. c. 9.*

tiæ, quæ, si à nimia & licentiosa familiaritate foveatur, mali graminis instar ubicumque germinare potis est, inter ipsos etiam Necessarios, Fratres quòque, ac Sorores, imò Parentes, & Filios. Atque utinam sola luxuria ad Abortus voluntarios impellere posset, neque his se immisceret quandoque paupertas, quæ Mulieres in ejusmodi facinus præcipites agit!

3. Oportet igitur, ut Parochi apertissimis oculis vigilant, hujusmodi attentata coerceant, ac sæpissimè, præsertim in Concionibus, doceant, \* numquam esse licitam procreationem Abortūs, etiam Fœtus inanimati; quamvis Mater sibi necem ipsam prævideret: Quia actio, cùm ab intrinseco pessima sit, cohonestari non potest. Quare oppositam opinionem *Innocentius XI.* sub excommunicationis, Summo Pontifici reservatæ, pœnâ damnavit. [a] Quod si Fœtus animâ sit informatus, id erit verum ac voluntarium parricidium, cum enormi qualitate proditorii copulatum; indignum propterea, etiam ex veteri jure, Ecclesiastica Immunitate, ac præ sceleribus aliis, quæ contra proximos, à Matre præsertim, committi possint, horrendum, cùm innocentí Filio vitam temporalem simul auferat, & æternam; cæteroqui etiam sæpe cum ipsius parricidæ pernicie conjunctum: Abortus enim non solùm Fœtum,

\* *Quanta id fieri debeat cautela & prudenter quisquis facile adverterit.*

[a] Innocent. Prop. damn. 34.

sed abortientem quòque perimere consuevit. Addent, *Sixtum V.* [a] eos, qui quocumque modo Abortum, etiam antè animationem, procurant, vel ad eum cooperantur, excommunicationi Summo Pontifici reservatæ, aliisque gravissimis pœnis subjecisse. Quamvis autem hæc excommunicatio ex *Gregorii XIV.* indulgentia [b] ad Abortum Fœtūs animati restricta fuerit, ejusque absolutio Episcopis permissa; reliquæ nihilominùs pœnæ per *Sixtum* inflictæ, etiam pro casu Fœtūs inanimati, à *Gregorio ipso* confirmatæ, in suo robore permanerunt. Propterea delinquentes pro veris homicidis habentur, ac, si Ecclesiastici sunt Ordinis, omnibus dignitatibus, & beneficiis acquisitis, & acquirendis perpetuò privati, degradationis rei constituuntur, ut sœculari brachio tradantur, capitali sententiâ puniendi. \*

4. Hæc Pastores animarum explicabunt, nec admonêre omittent, Juvenculas, quæ fortè illegitimè conceperint, & Parentes, aliosque Necessarios metuant, ad Parochos, tamquam ad Patres, debere confugere, ut earum vitæ patrocinium in se suscipiant, ac, si circumstantiæ ferant, eas apud honestas Matronas in tuto reponant, aut alio pacto provideant, ne ipsæ cum earum Fœtu in ultimum discriminem

[a] *Sixtus V. Const.* 87. Effrænatam.

[b] *Gregor. XIV. Const.* 8. Sedes.

\* *Observandum, an, & quibus in locis dictæ Constitutiones Pontificiæ sint in vigore.*

adducantur. Quod si Parentes, & Consanguinei ob diffamationis metum, aliamve justam causam, puellam extra domum propriam commorari nollent, & Parochi existimarent, eorum curæ ac fidei in conservanda infelici illa Prægnante, ejusque Fœtu, non esse acquiescendum, ac multò magis, si probabilibus rationibus adducti, vindictam timerent; eo casu rem ad Magistratum Laicum deferant, ut is aliqua secreta, judiciali tamen, & comminatoria injunctione, Confanguineis ipsis imponat onus, ut partū tempore de Fœtu exactissimè reddant rationem. Magistratum sacerdalem proposui: Nam, ut ipsa experientia me docuit, his in casibus plerumque magis ille reformidatur, ob pœnas nempe corporales atrociores, quas delinquentibus infligere posset. In clandestinis omnibus graviditatibus, quæ in numerosa *Palmenſi* Parœcia spatio duodecim annorum circiter contigerunt, ubi periculum sacerdali Potestati delatum est, præservati sunt semper Infantes. Non ità tamen A. 1737. cùm Vicarius Forraneus damnum avertere fategisset: Nam impia prægnans, matre adjuvante, contemptis Vicarii minis, natum Filiolum; etsi non baptizatum, occidit, ac in sterquilino sepelivit; de tanto scelere deinde convicta, atque confessa. Verùm, quia non raro hujusmodi matres viventem adhuc prolem terræ mandant; ubi sceleris habeatur notitia, semper effodiendi sunt quantocitius Infantes: Nam

*Brubierius* duos ex eis illegitimos, & juvenem ex vulnere mortuum creditum perhibet sepultos, ac terrâ obrutos: Quorum secundus post septem à sepelitione horas, tertius post totidem cum dimidia, primus autem fortasse post majus temporis spatium, vivi tandem eruti sunt. [a]

5. Commonefaciendus etiam est populus, omnes in universum, quantumvis extraneos, quibus innotuerit, mulierem Abortum procurare, aut alias illam ad Abortum cogere medicinis, itineribus, ponderibus, laboribus, verberibus, aut alio excogitabili modo, si per se ipsos crimen impedire non possint, tenēri saltem quantocitius Parocho denunciare, ut ille provideat.


6. Quod ad Medicos attinet, Pharmacopolas, ac similes medicaminum venditores; gravissimè peccant, si quando remedia præscribant, aut vendant ad Abortum ciendum; aut cùm suspicantur, Mulieres, præsertim clandestinò prægnantes, aut alias pro eis illa tam pravo fine postulare. Idem dicendum de Barbitonforibus venam secantibus absque Medici præcepto, & in circumstantiis, ubi timēri potest Fœtūs ruinam intendi. Ut plurimū antedicti, ad hæc vitanda se obligari, non utique ignorant: Ea enim omnia

[a] Bruhier. *de incert. sign. mort. l. i. c. i.*  
§. 10. & c. 3. §. 2.

solent in ipsis Protho-medicorum statutis, ut in *Sicilia* factum est, expressè prohiberi. Cæterùm impossibile non est, in hæc delicta prolabi aliquos, maximè tyrones; eoque fortius in oppidulis, vel ob inscitiam, vel quia non semper homines juxta conscientiæ dictamen operantur. Quocircà non inutile erit etiam prædicta populo explicare.

7. Quod autem deterius est, inveniet forte Parochus, qui ex professo, & quasi ex charitate, munus exerceant medicamina vendendi, ad Fœtus sive inanimatos, sive animatos disperdendos. Hoc scelus frequentatur ab in honestis mulieribus, lenis, ac superstitionis, item ab Obstetricibus, ad quas juvenculæ, earumque matres, aut vicinæ confugiunt, ut in hoc immani proposito adjuventur. Jam dudum plures ex his Divinâ Providentiâ detectæ in diversis *Siciliæ* civitatibus, & oppidis, Parochis operam suam præstantibus, in ordinem sunt redactæ. Sed, heu! quām multò plures adhuc delitescunt! Parochus ergo, ubi eas deprehenderit, diligenter attendat, ne solis privatis correctionibus sit contentus. Etiam diabolicæ istæ mulieres ad vomitum redeunt, & nunquam emendantur. Magistratum igitur sæcularem imploret, ut efficaciter ejusdem Authoritate coérceantur. Nolo per hoc, ut illas morte, aut mutilatione plectendas curet, unde ipse irregularis evaderet: Solūm suadeo, ut debit is protestationibus

non præteriorum criminum ultionem petat, sed efficax impedimentum, & quasi aggerem futurorum. Verùm expedit, ut Magistratus civiles, ex juris communis autoritate, (a) ad pœnas duriores, & nonnumquam ad ipsum ultimum supplicium devenirent, quo tantum nefas, ad quod expiandum mors una non sufficit, ab orbe terrarum exterminarentur. In *Sicilia*, ut homicidæ non solùm Abortum procurantes, sed & ei quomodocunque cooperantes, quacumque fori exceptione posthabita, nova lege puniuntur. [b]



### C A P U T III.

*De Providentia Principum, & Communatum erga Infantes projectos. \**

I. **I**nter præcipua ad arcendos Abortus media, nullum certè magis necessarium, quàm Principum erga Infantes projectos diligentissima providentia: Si enim hæc defit, matres illegitimæ facilè Abortum aggredientur; quo non succedente, pueros in putreos, latrinasque projicient, vel aliter eneca-

[a] *L. Cicero. DD. de pœnis.*

[b] *V. Append. Mon. 3.*

\* *Hæc materia tractatur in Archetypo l. 4. c. 4. à n. 2.*

bunt, vel vivos fortè sepelient; saltem nocte in campis exponent, vel in triviis, aut sterquiliniis Civitatis, cum evidenti periculo, ne Miselli à porcis, aut lupis, aut canibus devorentur, vel frigore, & inedia, quodque deterius est, non baptizati, consumantur. Neque tamen raro hujusmodi mala timenda sunt: Frequenter enim inveniuntur expositi; ita ut pro quolibet bino, vel terno larium centenario, possint singuli quotannis in unoquoque pago, vel civitate apparere.

II. Sanè Spiritus Sanctus, ut summam naturæ humanæ ex peccato originali miseriam demonstraret, eam ob oculos nostros non secùs pónendam existimavit, quàm similitudine **Infantis**, non solum in die nativitatis suæ adhuc nudi, & sanguine cruentati, nec fomentis recreati, sed à Parentibus derelicti; ut ita divitias quodque suæ charitatis ostenderet, qua nos benignissimè suscepit, & à calamitate liberaturus in filios adoptavit. Principes ergo projectorum saluti consulentes, Divinam verè Misericordiam & imitabuntur, & sibi met ipsis promerebunt.

III. Hæc seriò perpendens Divus *Vincen-tius à Paulo*, mira pro salute projectorum molitus est, Sancti *Francisci Salesii*, quem pro Magistro coluit, charitatem erga Pueros egregiè secutus. Profectò Parisiis, Urbe cæteroqui Litteris, & Disciplina maximè florenti, *Vincentii* ætate projectorum cura, quamquam

quamquam patriis legibus *Castelleti* Officilibus Regiis demandata, ferè despectui habebatur: Pueri namque singulis annis quadrangenti, vel ad minus trecenti reperti non Nosocomiis, sed cuidam viduæ tradi consuēverant. In hujus domo, partim, inediâ interibant; partim, soporiferis affatim propinatis, somnum cum morte commutabant; partim, vilissimo pretio, etiam viginti quandoque solidorum, vendebantur; sœpissimè verò, perditis hominibus, eos cum magna familiarum perturbatione ad supposititios partus, interdum etiam ad maleficia, & incantationes adhibituris; quām plurimis interea ex his Pueris absque Baptismi Sacramento decedentibus. Fassa enim fuit scelestissima vidua, numquam se curasse, ut eorum saltem aliquis Baptismate lustraretur. Exarsit ad hæc *Vincentii* zelus, & Matronis *Congregationis à Charitate*, ut eorum solitudinem in se susciperent, eventu felicissimo persuasit; Nosocomio insuper ad eos non solùm assumendos, & lactandos, sed etiam deinceps educandos destinato. Deindè à Rege annum Censum Librarum 12000. obtinuit, quem ex aliis aliorum largitionibus ingenti projectorum bono ampliavit. [a]

4. Ante omnia itaque sciendum est, onus excipiendi, & alendi projectos, ubi Noso-

## C

[a] Abelli *Vita S. Vinc.* l. 1. cap. 30.

comiis, Hospitalibus, similibusque religiosis  
piisque locis, ex Fundatione, vel alio titulo  
non incumbit, ad singulas Universitates, res-  
pectu suorum præcipue, pertinere.

I. Quia unaquæque Communitas, in ex-  
trema præsertim necessitate, debet suos pau-  
peres alere; & extrema sinè dubio est tum  
in anima, tum in corpore, indigentia Pro-  
jectorum.

II. Quia, sicuti ipsi, ubi adoleverint, pa-  
triæ servire tenebuntur; ita & hanc eorum  
tenerimæ ætati succurrere ac opitulari  
æquum est: Maximè, quia, ut benè ani-  
madvertit clarissimus *Muratorius*, [a] ex  
jure ipso gentium, in singulis cujuscumque  
civilis Societatis membris quoddam jus oritur,  
quo auxilium ab ipsa, ne sinè propria culpa  
perire cogantur, exigere possint.

III. Quia, cùm Projecti ex ejusdem loci  
habitatoribus nati præsumantur, neque certi  
sint eorum parentes, debent ex bonis Univer-  
sitatis, quæ sunt communia, sustentari. [b]  
Si autem Universitatis patrimonium non suffi-  
ciat, deveniendum est ad collectas, ut pon-  
dus, quod omnes respicit, in plurimos dif-

[a] *Murat. de Charit. Christ. c. 27.*

[b] *Ex Concil. Turonens. A. 570. c. 5.....*  
*Tolosan. Syntagm. Jur. Civ. l. 15. c. 28. n.*  
*14..... Zipæus de Jurisd. Eccles. & Civ. c.*  
*60. n. 16. & Consult. I. de Infant. Expos. &*  
*alii multi, quos vide in Archetypo.*

tributum, evadat insensibile. Atque hæc est consuetudo non solùm *Siciliæ*, sed etiam totius *Europæ*. [a] Relevantur tamen ab hoc onere Universitates, ubi Hospitalibus, Montibus Pietatis, aliisque similibus institutis illud pii Fundatores imposuerint. Quapropter discussiendum Episcopis, num fortè sint aliqua occulta legata Projectis, vel etiam generatim pauperibus relicta: Nam & hæc ultima legatorum species, poterit etiam applicari Projectis, pauperum omnium certè miserrimis, saltetem parte aliqua pro aliis omnino invalidis detracta. Verumtamen præcipua obligatio, uti dictum est, semper ad Universitatem spectabit. Itaque si Nosocomia, & cætera opera pia nequeant Projectis omnibus æquè subvenire, Universitas indeclinabiliter cogenda erit ad supplementum; atque, ubi hæc valde pauper est, tenebitur loci Dominus. [b] Misericordiæ quidem erga pueros præclarissimum dedit exemplum *Constantinus Magnus*: Cùm enim audisset, filios per *Italiam* à parentibus ob inopiam oppignorari, vendi, exponi, vel etiam interfici; alimenta jussit egenis patribus familias non solùm à Fisco, sed à privato Prin-

## C 2

[a] *Carraanza de Partu c. 4. Sect. 2. n. 137.*  
*Fragos. de Regim. Republic. p. 3. lib. 1.*  
*disp. 2. §. 3. n. 29. Belinus. de Collect. q.*  
*57. à n. 10.*

[b] *Doctores apud Thesaur. Decis. 118. n.*  
*2. & Amostaz. l. 4. c. II. n. 52.*

cipis ærario subministrari: Legem verò istam in æreis tabulis, vel cerussatis, aut lineis mappis, quo æterna foret, inscribi; simili prætereà constitutione ad *Africanas Provincias* directa. [a]

5. Porrò curandum est, ut, ubi sunt Nosocomia Projectis alendis comparata, ligneum veluti Tympanum versatile, quod *Rotam Siculi* dicimus, perpetuò habeant in muro exteriori situm, cum tintinnabulo, ad cuius pulsum diu noctuque aliqua persona sit prompta, quæ ad Infantem excipiendum accurrat. Si tamen Nosocomium ad hos Pueros alendos non esset destinatum, expedit adhuc, ut Universitas propriis expensis talem Rotam cum tintinnabulo, ac persona prædicta statuat in ipso Nosocomio.

6. Ubi Nosocomium desit, collocanda erit Rota in Xenodochio, sive Hospitio peregrinorum, si existiterit; vel in Domo Parochi, vel probæ alicujus Obstetricis, vel alibi, dummodo semper locus, quicumque demùm ille sit, nec valde publicus, nec multùm remotus videatur.

7. Si autem, quamvis Rota in Civitate, seu Oppido sit erecta, nihilominùs Infantes alibi fortè reperiantur expositi, argumentum id erit, locum Rotæ esse incommodum, propereà cum alio commutandum.

[a] Codic. Theodos. l. II. Tit. de Alim. Leg. I. & 2. ubi Gothofred.

8. Si in Civitate Rota pateat, & nihilo-  
minùs alibi expositi sint Pueri, ubi fortè  
perierint, exponentes de homicidio tenentur,  
ac veluti homicidæ, aliis omnibus efferatio-  
res, extremis pœnis subjiciuntur. *Nimirum*,  
ut inquit *Justinianus*, [a] qui omni inbu-  
manitate & crudelitate referti sint, tanto  
deteriores homicidio pollutis, quanto cala-  
mitosioribus id inferunt. Eademque pœna  
locum habet, quamvis fortè Infans à periculo  
evaserit; si tamen pravo consilio derelictus  
fuerat, ut periret. Circumstantiæ verò inten-  
tionem exponentium declarabunt.

9. Qui Expositum ubicumque, sive in Op-  
pido, aut Pago, sive in eorum territorio re-  
pererit, ad loci Nosocomium, si hoc Pro-  
jectos alit, vel ad urbanum Magistratum,  
scilicet populi Procuratores, quos *Juratos*  
appellant *Siculi*, sub pœnis arbitrariis com-  
portabit: Expositi enim ad eam Universita-  
tem attinent, in cuius territorio inveniuntur,  
nisi liquidò constet, ex quoniam alio loco  
provenerint: Conqueri enim illa non poterit,  
cum hæc munera fæpe à finitimis populis  
ultra citroque mittantur.

10. Jurabit tamen inventor, se nescire  
Puerum esse à legitimis parentibus ortum, &  
eò ab illis projectum. Similiter Obstetrics,  
quæ in partu illegitimo, quem occultare ne-

C 3

[a] Novell. 153. de *Infant. Expos.*

cessē sit, puerperæ sunt opitulatæ, Infantem ad Nosocomium gestabunt, vel ad Universitatem, si pauper ille sit, & sinè scandalo, infamia, aut periculo suo, vel parentum, ab his nutriri non possit. Idem facient, ubi, quamvis partui non ministraverint, natus Parvulus ad eas afferatur. Ad hæc autem summa fide, summoque silentio exequenda, licet mercedem non sperent, omnino tenebuntur ex charitate.

11. Nosocomia etiam gravidas, præsertim probrofa graviditate, quæ in illis parere sibi elegerint, excipere sinè controversia debent. Sique natus Infans sinè scandalo, infamia, vel periculo à parentibus ali non possit, & Nosocomium sit Projectis alerdis destinatum, illum retinebit; Secùs, Universitati secretò remittet.

12. Infantи itaque reperto, nisi in proximo periculo mortis esse videatur, fasciæ dissolvuntur, ut inspici possit, utrum aliquo vulnere, aliove malo, quod præsentem requirat opem, laboret. Indè ad Parochum baptizandus illicè defertur. Nomen illi, & cognomen ex duobus Cœlicolis, quorum eo die meminerit Martyrologium, imponantur; putà *Philippus Eleutherii*: Non enim desumendum erit cognomen à loco, ubi repertus est; ne aliquod in ejus posteros maculatæ originis dimanet indicium.

13. Baptismus numquam omittetur, &

semper sub conditione ministrabitur , sive schedulam de Baptismo testantem habeat Puer , sive non : Nam si habeat , non tamen constat , quis eam scripserit , quiue baptizaverit , & quomodo . Si non habeat , possumus tamen meritò suspicari , fortè , ab Obstetricie saltem , fuisse baptizatum . Ita profectò Sacra Congregatio decrevit : *Proposito die decimo octavo Decembris 1723. sequenti dubio : Quomodo se gerere debeat Parochus Sancti Spiritùs in Saxia , in collatione Baptismatis Infantibus , qui ad Archi-hospitale deferuntur ; sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem , sive non habeant ; & etiam si ex colore & cæteris corporis qualitatibus deprehendatur , eosdem esse constitutos in ætate sex aut decem mensium , vel etiam unius anni cum dimidio ? In Congregatione habita decimo quinto Januarii 1724. responsum est , ut infrà , esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem . Instructio est : Quòd excipiatur à Baptismo sub Conditione , casus schedulæ , quæ habet certitudinem .*

*Benedictus XIV.*, qui , cùm Decretum ederetur , ut ipse narrat , [a] Sacræ Congregationis erat Secretarius , ita ex ipsius Congregationis mente notatam certitudinem explicat : *Scilicet , cùm sciri potest schedulæ Script-*

C 4

[a] Lambertin. T. I. Notis. 8.

*tor; isque talis est, cui fides possit ac debeat adhiberi.*

His consonat S. Carolus in Consilio *Mediolanensi* tertio, [a] ac Synodi Provinciales *Aquensis*, *Tolosana*, & *Narbonensis*.

14. Non nulli Parochorum fassi sunt mihi, conditionatam hanc Baptismi reiterationem in Projectis, exstante schedula, se semper omisisse. Præsules ergo illam inculcare non prætermittant; maximè, cum dubitandum sit, primum Baptismum à rudi aliqua persona, præsertim propter festinationem, & trepidationem, invalidè collatum. Post Baptismum, ad fraudes evitandas, ardenti Sigillo Stemma Civitatis, vel Nosocomii, sinistro Pueri brachio propè scapulas inuritur.

15. Nosocomiorum, vel Universitatum Rectores, nullo umquam prætextu, sub arbitriis pœnis, occultos Projecti Parentes inquirant: Hac enim indagine, ex qua infamiam sibi timent, parentes deterriti, Puerulos occidunt, vel in alias Civitates, & Oppidula mittunt exponendos. Excipitur casus, ex quo prudens indicium habeatur, Infantem à legitimis parentibus projectum fuisse: Re enim comperta, illis restituendus esset, ipsisque onus imponendum, ut de eodem interdum rationem exactissimè reddant. Certum prætereà est, parentes non pauperes, tenéri ad

[a] *Concil. Mediol. 3. Tit. de Bapt. Infant.*

expensas Universitati compensandas, vel etiam Nosocomio, ubi hoc non omnibus Projectis obnoxium sit, sed tantum pauperibus.

16. Universitatum, & respectivè Nosocomiorum Rectores catalogum conscribant mulierum, quæ se promptas ad nutricis officium obtulerint. Hæ, testimonium Parochi de vita, & moribus, & de sufficienti in Catechismo peritia exhibebunt, eruntque sanæ valetudinis; scabiëi, similiisque morborum expertes, lacteque præditæ, & in præsenti sine filiis lactentibus: Aliter, mercede gaudebunt, at proprios filios copiosè nutrientes, Projectum inediâ conficient. Si verò in loco nutrices inveniri nequeant, in finitimis quærantur; & in extrema necessitate, sicut sœviente peste consuēvit, iis capra, vel vacca substituatur.

17. Primo die mensis, unus ex Rectoribus Universitatis vel Nosocomii, nutrices conveniet. Hic, signum in brachiis Infantum, eorum valetudinem, & munditiem scrutabitur; qualiter se gerant nutrices, examinabit; mercedem rependet, quæque facienda sint, decernet, atque præscribet: Imò, si opùs est, dolosas, vel negligentes juxta merita, & interdum etiam acriter, mulctari curabit.

18. Deputabitur etiam pia Mulier cum honorario, ac titulo Præfectæ nutricum, ut singulis hebdomadis ex improviso nutrices omnes visitet, ac statum Infantum expendat, atque munditiem. Inspiciet etiam, utrum

cunæ sint positæ, pro Parvulis saltem, qui annum non expleverunt: Hi enim in lecto collocari nequeunt, ne suffocentur, aut opprimantur, maximè si per ætatem non adhuc solutas habent manuscas. Id Synodi benè multæ sub excommunicatione interdixerunt, cuius censuræ meminit etiam Ordo *Romanus* ministrandi Sacraenta. [a] Tutius autem est, ante biennium Infantulos in lecto non habere, ut *Panormi* obtinuit laudanda consuetudo.

19. Ubi Universitas pauperie laborat, hæc erit ad intentum salutaris industria. Parochus, præsertim die aliqua Mysteriis Infantiae JESU CHRISTI sacra, populo nunciabit, Beatam Virginem amore Infantis JESU velle, ut filios educare Projectos; egere tamen nutricibus, piasque fœminas ad id operis invitare. Plausibile istud argumentum, zelo Parochi animatum, quām plures è fœminis incendet, quæ sè promptas exhibebunt. Ipse, earum nomina in libro adnotabit, ut tempore debito usui sint. Si nulla nomen dederit; Parochus Infantem repertum alicui tradet mulieri lactanti, cuius tamen filius sit anniculus, ut per mensem tantùm illa Projectum alat: Anniculus enim puer, solidiori cibo jam assuētus, solum in lactando non incommodè patitur. Quæ verò mulieres ante annum pepererint, Parochus è Baptismatum libro facillimè discet.

[a] *Vide etiam infra l. 4. cap. 3. §. 8. n. 19.*

Mense transfacto , ad aliam , quæ similiter ante annum peperit , deferet ; atque ita deinceps . At hæc frequens translatio non erit necessaria : Experietur enim Parochus , nutricem erga Projectum tenerimum concipere amorem , qui eam , ne Puerum aliis cedat , dehortabitur . Universitas autem nutrices istas publicis oneribus eximat , & certam aliquam panis quantitatem , toto triennii spatio , quo saltem est duratura educatio , subministret . Parochus etiam à Summo Pontifice Plenariam Indulgentiam , ter ab iis consequendam , impetrabit : Primò , quo die Albo nutricum adscriptæ fuerint : Secundò , cùm Projectum susceperint alendum : Tertiò , cùm illum post triennium , nutritione peracta , reddiderint .

20. Verùm , si Expositorum corpuscula solummodò alantur , ne in infantili ætate præmaturiùs occumbant ; cura verò educationis animorum sequentibus annis negligatur , non satís bono publico prospectum erit : Adulti enim , se vitiis mancipabunt ; mares præcipue , furtis , fœminæ , meritrio , aut saltem mendicitati , quæ otiosa est & vagabunda , multorumque criminum fœcundissima parens . Quàm maximè ergo reipublicæ interest , etiam Universitatis expensis , ubi fieri potest , Contubernia pro puellis projectis erigere , quæque ex his deindè virtute excellerent , Nosocomii ministeriis deputare . Mares verò , nutricibus ipsis , vel artificibus in adoptionem tribuere ,

vel saltem publico instrumento , pro definito annorum spatio , quo-usque artem addiscant , magistrorum famulatui addicere.


21. Jus profectò *Romanorum* Projectis ob hanc ipsam rationem , scilicet ut vivendi , panemque sibi lucrandi media adipiscantur , eximiè favet. Quocircà non solùm eos præsumit ingenuos ; sed etiam , quamquam anteà libertinæ , vel servilis conditionis , illos ad statum ingenuitatis eo ipso traducit. Jus verò *Canonicum* eadem confirmavit , Cap. : *Si à Patre : De Infantibus , & Languidis expostis.* Imò , Projectos Nosocomii *Romani* , Spiritui Sancto dicati , aliorumque sub eodem titulo & regulis , *Gregorius XIV.* legitimos declaravit ; ita ut pro eorum ad Ordines promotione , dispensatio irregularitatis *ex defectu natalium* non requiratur ; quod ad reliquos omnes Projectos Canonistæ ampliârunt : Quamvis enim ut plurimùm illegitimi sint , incerta tamen est in unoquoque vitiosæ originis macula . In hoc ergo aliquanto circa singulos dubio , cum omnibus misericorditer agitur , ut faciliùs modum vivendi sibi parare queant , ac honesta munia obire , ac fortassis etiam ad sublimiorem aliquando fortunam ascendere . *Madrizi* certè non solùm Cives , & ingenui ; sed nobiles , & ad cujusdam equestris Ordinis habitum idonei reputantur . [a]

22. Cæterum, Projecti sub protectione sunt Diœcesani Episcopi, ejusque Ecclesiæ, ac majorum justitiae Ministrorum; item Procuratorum populi, seu patriæ Patrum, imd quo-rumcumque reipublicæ Officialium, & Magistratum, ac supremi denique Principis, universalis orphanorum, & miserabilium omnium Tutoris. [a]

23. Expedit nihilominus, in quolibet Oppido trium virorum cœtum, vulgo Deputationem, institui, quorum saltem primus Ecclesiastici sit Ordinis, ut perpetuae conservationi Rotæ, ac Projectorum nutritioni & educationi diligenter invigilent, eosque deinde adultiores, dirigant, adjuvent, foveantque ad honestum vitæ statum assequendum. Cura etiam ipsorum erit, ut jurati Patres proprio erga illos officio ne desint; ac demum in omnibus, quæ ad Projectos pertinent, maturè providebunt.\*

[a] D. L. Sancimus c. de Infant. Expos.  
Et Novell. 153. ejusd. Tit.

\* Plura hic brevitatis causâ omissa, at nihilominus pro Projectorum salute, tam corporali quam spirituali, Principibus, Episcopis & Magistratibus ab Authore merito commendata, vide in Archetypo, cit. Lib. IV. cap. IV. per totum.



## C A P U T I V. \*

*De Medicorum in curandis Gravidis cautela, ne Fœtui noceatur.*

1. **D**uo sunt scopuli, à Medico in curandis gravibus Prægnantium morbis evitandi. Primus est, homicidium corporale miseri, innocentisque Fœtūs. Secundus est, ejusdem spirituale homicidium: Nam, si, ante quam enascatur, intereat, baptizari nequit, & in æternum peribit. His prælibatis, diversa oportet remediorum genera, de quorum licito usu Medicus dubitare poterit, accuratè distinguere.

2. Primum genus, eorum est, quæ Matri favorabilia, non tamen Fœtui naturâ suâ nociva sunt, sed tantum periculosa: Utì purgatio, quæ positivè, ut ajunt, nocere valet Fœtui, quatenus in Matre stimulum producendo, Abortūs occasio esse potest. Item, flebotomia, seu sanguinis missio, quæ illi damnum negativè solet afferre, alimentum scilicet subtrahendo.

Secundum genus, ea comprehendit, quæ propter diversas qualitates per se ipsa & Matri sunt utilia, & simul graviter nociva Proli,

\* In Archetypo, Caput 3um.

eam scilicet occidendo, aut ex utero per Abortum exturbando. Talia sunt Medicamina lunaria tributa moventia, quæ tum Matri sublevandæ, tum Fœtui suffocando, vel etiam à ventre expellendo sunt apta.

Tertium denique, dicitur illorum, quæ naturâ suâ ad Fœtûs perditionem diriguntur, & solùm indirectè & per accidens Matri opitulantur: Utì, violenta Infantis extractio in frusta per ferramenta, partu jam desperato.

3. Sanè, considerato hīc solo corporali Fœtûs detimento, ac ipsius temporalem tantum vitam cum vita Matris comparando, hæc illi meritò præferretur. Quocircà, si Mater in extrema, vel etiam gravi necessitate aliquo indigeat remedio, licet illud assumeret, ac proinde Medici, & Obstetrices licet ipsum ministrarent; dummodò ad primum, aut secundum genus pertineat, & semper ex solo fine Matrem adjuvandi tribuatur, quamquam Puerò sive negativè, sive positivè, sive probabiliter, sive certò nocitum. Quæ verò ad tertium genus spectant, omnino damnantur. Quomodo enim licebit Matri vitam propriam conservare, innocentem Filium trucidando? Hoc est malum ab intrinseco, ac proptereà cohonestari nequibit. Imò fatentur omnes, illicitum etiam esse directè simplicem Abortum procurare, ubi Fœtus est animatus, aut de animatione dubitatur.

4. Inquiramus autem Ćinspecto solo cor-

porali homicidio, utè suprà animadvertisimus) utrum possimus chirurgicam extractionem in partibus desperatis aggredi, si certi moraliter essemus, neque Filio ipsi ullam vitæ spem superesse? Videturque prima facie, posse gravidam procurare, ut ille cum moderamine inculpatæ tutelæ, tamquam maternæ vitæ manifestus invasor, & parricida, occidatur: Cum enim nasci conetur, neque ob viæ angustiam valeat, Matrem interimit, estque illi vera mortis, & inevitabilis causa. Nec desunt, qui cum *Heistero* ita sentiant. Alii, hoc esse illicitum, docent: Infans enim eo casu non est invasor injustus, sed à natura coactus, cuius auctor est Deus: Et inhumanum, ac ferum videtur, Matrem Filiolo velle tam crudeliter inferri mortem, ut vitæ suæ consulatur. Perpendendum est etiam attentiùs, quod, admissâ tamquam licitâ in praxi, hâc actione, innumeris infanticidiis via aperiretur: Facillimè namque Matres, Obstetrics, Chirurgi, baptizato quomodocumque Infante, sibi persuaderent, hujus vitam, non minùs quàm Matris, esse desperatam, eumque censendum parricidam, & invasorem. Quocirca, prima opinio, faltem in praxi, locum habere non debet, S. Ambrosio dicente: [a] *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lœdatur;*  
commodius

[a] S. Ambros. lib. 3. de Offic. c. 9. Relat. in Can. Denique 14. q. 5.

*commodius est, neutrum juvari, quam gravari alterum.* Non autem improbarem, si Chirurgus peritiam suam experiretur in Infante, à Matre, etiam ferramentis evellendo, ubi cum spe utrumque liberandi, quamvis cum aliquo Filioli periculo, id fieri queat. Praestat in hoc genere instrumentum *Palfinianum* à *Gregorio* emendatum, de quo Libro tertio Capite primo dicturi sumus: Hoc enim sèpissimè salutare fuit Puerulis, neque ad eos discepentes, sed ad vivos extrahendos adhibetur.

5. Hactenùs de solo corporali homicidio disceptavimus. Verùm, si spirituale etiam præ oculis habeamus, quod cum corporali solet esse annexum, Theologi pronunciabunt communiter, Matrem ad æternam Filioli vitam, temporali sui-ipsius longo intervallo præferrandam, obligari. Et sanè, expressè præcipit **CHRISTUS**, [a] ut eo modo proximum diligamus, quo ipse dilexit nos; spiritualem scilicet vitam hominum suæ corporali anteferendo. Quod præceptum ne sit inutiliter datum, oportet, ut in aliquo saltem casu vigeat: Si autem in hac extrema spirituali miserrimi Infantuli necessitate, neque ipsa Mater eò adstringeretur, equidem non video, ubi demum possit vim suam exerere.

6. Hinc, etiam in dubio, utrùm Fœtus animatus sit, an non, Mater tenebitur, sive

D

[a] Joan. 15. 12.

medicamina sint tertii generis , sive secundi , sive etiam primi , licet damnum Fœtui adferant tantum negativum , semper illis abstinere . [a] Idem dico , si de Fœtu jam grandiusculo , utrum mortuus sit , ambigatur . Sed , eheu ! quanta circa haec quorundam Medicorum ignavia , vel erga matronas adulatio ! Profecto , si partu instantे , ubi uterus patet , & Infans contrectari potest , nihilominus impossibile ferè est , Infantem certè mortuum judicare , nisi verè putrefactio appareat , uti experimentis comprobant *Hildanus* , *Guillemeaus* , *Heisterus* , aliquique celeberrimi Chirurgi , & nos alibi demonstrabimus ; [b] quantò magis ante pariendi tempus de Fœtū morte nihil statuere possumus ?

7. \* Cæterum , quia juxta hodiernam Medicorum prudentissimam consuetudinem , remedia plerumque Matri propinata non nocent Fœtui , in praxi raro occurrere arbitror , ut peccentii , illa prescribendo , & Gravidæ , illis utendo . Quocirca supponendum , quod Theologi afferentes , Prægnantem teneri potius mori , quam remedia Abortum ciere valentia admittere , loquantur de periculo Abortū con-

[a] S. Antonin. in *Summ. Natal.* ab Alex. *Theolog. Dogm. lib. 4. Dec. Reg. 14.* Pontas *Diction. Cas. Consc. V. Abortus.* Genett. de 5. *Præc. Decal. c. 1. q. 12.*

[b] L. 3. c. 9.

\* In *Archetypo bīc incipit c. 4um.*

juncto cum periculo mortis Fœtūs in utero  
sinè Baptismate: Tunc enim solummodo Ma-  
ter tenebitur suæ temporali æternam Filii vi-  
tam præferre. Verùm, si daretur casus, quo  
securi essemus, periculum subesse tantummodo  
circa Abortum, non verò circa illius mortem  
in utero, antequam exeat, & baptizetur,  
(qui casus non est impossibilis, ubi Fœtus  
esset maturior, ac tempus pariendi propin-  
quum) tunc Mater non teneretur pro con-  
servanda sola temporali Filii vita, profundere  
propriam. Suppono etiam, quod, quando in  
hac materia de mortis, vel Abortūs periculo  
sermo est, intelligatur semper de proximo;  
non verò tantum de remoto: Non enim  
æquum est, propter secundum Gravidæ tam  
grave onus imponi.

8. His igitur præjectis, duo sunt remedia,  
Medicis in curandis Prœgnantibus usitatoria,  
de quibus etiam ut plurimum loquuntur Mo-  
ralistæ; scilicet sanguinis emissio, & purgatio.  
Utrumque autem, juxta superiorem divisio-  
nem, propriè ad primum medicamentorum  
genus pertinet; hoc est, naturâ suâ Matri fa-  
vorabilia sunt; Fœtui verò non mortifera,  
sed pericolosa: At neutrum ex illis regulari-  
ter affert periculum proximum Abortūs, con-  
junctum cum periculo mortis Fœtūs, ante-  
quam baptizetur. Fateor equidem, *Hippocra-*  
*tem* dixisse de primo: [a] *Mulier utero*  
D 2

[a] *Hippocr. Aph. 50. Sect. 5.*

*gerens, sanguine è vena missa, abortit.*  
 Et de secundo: [a] *Prægnantes medicamentis purgare oportet, si turget humor à quarto mense ad septimum; sed has minùs: Juniores autem Fætus, & seniores verèri oportet:* Nam quò magis tener, vel maturus est fructus, eò faciliùs, ut Galenus ait, [b] ab arbore decidit. Verùm Hippocrates hæc scripsit, præ oculis habens antiquam Medicorum consuetudinem, quâ sanguinem auferebant ad libras, ac totum simul; quod idem erat, ac ægrotas exsangues reddere: Quarè Prægnanti solida relaxabantur, & ligamenta Fœtūs cum utero solvebantur, cùm interea alimentum Puerulo deficeret: Et ecce! indè vel Abortus, vel etiam mors ipsius in utero, sicuti accidit in copiosis Gravidarum hæmorrhagiis. Hodiè verò, sanguis non nisi ad uncias, vel ad summum ad semi-libram aufertur; adeò ut præfata damna non facile oriri possint. Si autem oporteat in majori quantitate illum extrahere, id fieri solet per intervalla. Quam ob rem innumeris jam experimentis constat, sanguinis missionem, quæ cæteroquì gestantibus numquam præscribitur in pede, ubi periculosior foret, non esse ut plurimùm adeò noxiā Fœtibus, imò sæpe

[a] Hippocr. *Aph.* 29.

[b] Galen. *in Aphor.* 5. Hipp. *Sect.* 4.  
*Lazar. River. Instit. Medic.* l. 5. p. 1. *sext.*  
*2. cap.* 4.

accidere salutarem; ac maximè primis mensibus, in quibus adeò abundat alimentum, ut ipsum Fœtum suffocare valeat, si per venæ sectionem huic malo non occurramus. Unde scripsit Riverius: [a] à primo mense usque ad quartum venæ sectio tutò administrari potest.

9. Quod verò ad purgationem attinet: Veteres purgantibus fortioribus, & eradicativis utebantur, præsertim helleboro, uti ex Hippocrate ipso videre est. Quam ob rem orgasmo in spiritibus, ac liquidis concitato, magna laudabilem humorum copia peccantibus admistorum exibat. Solida interea validè constringebantur, & uterum premendo, Fœtum expellebant, qui propter illatam vim, quò delicatior, eò majus incurrebat periculum non tantùm Abortūs, sed etiam mortis in utero ipso. Nostra verò ætate, Ars Medica purgantium benigniorum satis est dives; puta *Succi Rosarum* priscis ignoti, *Cassiae*, *Mannæ*, & similiū: Violenta verò obsoleverunt. Audiamus Riverium: [b] Si autem aliter sensisse videtur Hippocrates, animadvertatur, quòd modo longè diverso nos venam secamus, ac antiqui faciebant, qui ad libras, nos verò ad uncias sanguinem mittimus....

D 3

[a] River. *Prax. Medic.* l. 15. c. 16.

[b] River. loco citato. Francisc. Calmette in River. *Reform.*

*Audaciiores in hâc parte Medicos fecerunt blanda, & innoxia medicamenta, quibus hodiè utimur; ut sunt Rhabarbarum, Mirabolani, Cassia, Senna, Agaricus, & similia. Attamen perpetuò habenda ratio sententiæ Hippocratis, tutiùsque mediis mensibus, non verò primis, & ultimis, purgantia medicamenta erunt adhibenda.*

10. Medicus ergo juxta hodiernum morem sapienti œconomia, & Matri sanguinis missione, vel purgatione succurrit, & Fœtui prospicit, ne in proximum Abortūs aut mortis periculum conjiciatur. [a] Imò facillimè remotius reddere potest periculum ipsum; si nimirùm in sanguinis missione ministret simul cordalia, utatur adstringentibus, & corroborantibus, ac, ubi casus exposcit, novam substantiam Prægnanti elargiatur. Quo verò ad purgantia: Praeterquām quodd ea porrigat quantitate & qualitate leviora; scit etiam illa diluentibus & dulcificantibus sociare, ac, si orgasmus aliquis indè enascatur, eum compescere (cautè tamen) opiat. Atque ita videimus absq[ue] gravi damno à veteribus formidato, in praxi factitari à peritissimis Medicorum. Scilicet non omnis sanguinis emissio, vel purgatio Abortum inducit: Secùs verò in omnium Gravidarum manu positum

[a] V. Ettmuller. t. 2. l. 4. f. 6. c. 3. art.  
2. & 3. & alii ab Authore nostro citati.

effet, Fœtum pro libito disperdere; cum cæteroquì experientia ostenderit, & bene adnotavit *Calmetus Medicus Montepessulanus*, quasdam, in procurando Abortu obstinatissimas, nunquam eum consequi potuisse: Quantò magis ergo illum vitatum iri sperandum est, ubi tot cautelæ adhibeantur?

Sed adhuc majora supersunt dicenda. Sanguinis missio, & purgatio prudenter imperatæ, si verè Mater iis indigeat, erunt etiam Fœtui salutares, ita ut potius earum omissione sit ille peritus. Etenim, si verâ *Plethora*, vel apparenti, sive spuriâ laboret Prægnans, nonne etiam Fœtus tenellus eâ facillimè suffocabitur? Item, si humoribus peccantibus, & turgescentibus abundet ipsa, vel etiam excrementitiis (etsi coctis) qui tamen è corpore non expellantur, nonne isti nutrimentum etiam Filio corruptent, eumque enecabunt? Uno verbo, ut plurimum ea omnia, quæ ad Matris ægritudinem sanandam idonea sunt remedia, illæ eadem etiam Fœtui solent esse salubria, maximè, si maternus morbus etiam Fœtum invaserit: Saltem proderunt indirectè, quatenus, vitæ Prægnantis conservatâ, major liquidò spes concipitur, Puerulum fore victurum, ac, suo tempore nascendo, Baptismum suscepturnum.

II. Quod autem de sanguinis missione, atque purgantibus moderatè præscriptis diximus, prodesse scilicet potius Infanti, quam obesse, id etiam similibus aliis remediis æqua-

proportione aptandum est, etiam diureticis; quæ quidem, cum sint periculosiora purgantibus, majori cautela indigebunt; damnatis tamen emeticis violentis, ac cæteris, quæ tributa lunaria promovent; ad expellendam enim, aut suffocandam Prolem nimis idonea reputantur; imò etiam damnata ipsa sanguinis missione, vel etiam purgatione, ubi, persensis omnibus, proximum periculum sub-  
esset, ne Puer in Utero sinè Baptismo inter-  
iret: Tunc enim neque ad Abortum provo-  
candum, quamvis ex solo fine liberandi Ma-  
trem, præberi possunt; id charitatis, imò  
etiam justitiæ lege vetante: Mater enim con-  
jugalem statum eligens, omnibus ejus one-  
ribus voluntariè se subjecit. Quam ob rem  
rigorosè ad specialem Filiorum curam ad-  
stringitur, qui statūs ejusdem sunt fructus, &  
**ex D. Thoma** conjugii finis omnino essen-  
tialis: Nihil autem magis interest Filiorum,  
quam salus æterna.

12. Verùm, quò se vertet Medicus in ex-  
trema necessitate Matris, quando ex circum-  
stantiis medicamen propinans, Fœtum expo-  
neret proximo, ac manifesto periculo mo-  
tiendi in utero, & deindè per Abortum ex-  
eundi: Et nihilominus, ubi illud non propi-  
naret, idem Fœtus in æquali remaneret ruinæ  
discrimine, quam scilicet illi morbus ipse  
maternus minitatur, à quo facilè in utero  
extingui posset? Respondeo: Si remedium

naturâ suâ Prægnanti esset salutare , quamvis per accidens detrimentum Pueri ab eo timeatur , licet administrabitur : At , si naturâ suâ æquè sit aptum & Matri juvandæ , & Filio disperdendo , res controvertitur . Negat *Sylvius* , posse admoveri . Alii cum *Roncaglia* concedunt , dummodò non directè ad Fœtūs perniciem , sed ad Matris reverà salutem tribuatur . Sic enim conditio Infantis , in periculo ex utroque latere æquali , eo medicamento non efficitur deterior ; maximè , si spes affulgeat , Gravidam posse per illud sanari , absque Filii læsione : Tunc enim iste conditione meliorabitur , quoniam , vitâ Matris conservatâ , congruo tempore incolumis nascitus præsumeretur . At contrarium dicendum est , si , remedio prætermisso , spes probabilis Infanti superesset , fore ut ipse , Matre mortuâ , Baptismum per *Cæsareum Partum* con sequeretur , quæ spes remedium dando evanesceret . Cæterùm , in praxi ferè omnino impossibile est , absque temeritate judicare , nullam spem probabilem Fœtui superesse , ut Mater supervivat ; saltem quo-usque media incisione ab utero extrahatur , & baptizetur : Præterquam quod dubium sæpe est , utrùm Mater medicamine Fœtui periculoso reverà liberanda sit ; sicut dubium , aut saltem non certum erit in morbis acutis liquidorum , utrùm ægrotta moritura sit , si eodem abstinuerit : Etenim , quam sæpe , quos Medici capit is dam-


naverant, à natura sunt absoluti? \* Quapropter in Gravidarum morbis curandis nulla cautela, nulla circumspectio superflua credenda est.

13. At dicet aliquis: Nimis durum esset Prægnanti, se morientem agnoscere omni auxilio destitutam, cum tamen suppetat adhuc salutaris medicina, ipsi verò juxta traditas regulas deneganda. Casus, ut fateor, arduus est; at non propterea animum illa despondeat: Nam, si ægrotis omnibus ait Spiritus Sanctus, [a] *Fili, in tua infirmitate ne despicias te-ipsum; sed ora Dominum, & ipse curabit te;* quantò magis hoc veluti sibi specialiùs dictum reputare debebit Gravida, quæ à præsidiis, eidem fortè profuturis, Divinæ Legis amore, & charitatis imperio se abstinet? Quod innumeris certè exemplis posset confirmari. Contrà verò timendum valde esset, ne, si ea fiduciam suam in pharmacis reponat, iis neutiquam suffragantibus, pereat propter id-ipsum, ut *Osa Judæorum Rex, qui nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in Medicorum arte confusus est.* [b] Se ergò amantisimæ Dei Providentiæ committat, quæ vel protectione sua vitam, ubi expedierit, ipsi tuèbitur, quia in Omnipotenti speravit; vel cum æterna, & in immensum præstantiore commutabit.

\* V. in Archetypo l. 3. n. 9.

[a] Eccl. 38. v. 9.

[b] 2. Paral. 16. 12.



## C A P U T V. \*

*De Tempore Animationis, sive quando  
Corpori infundatur Anima.*

1. **M**ulier, quæ prægnans est, & esse dolet, ubi se concepisse animadvertisit, Abortum sæpe meditatur circa prima conceptionis tempora, in quibus sibi persuadet, Fœtum nondum esse animatum, vel saltem putans, primis temporibus Fœtum animâ carêre, præcautiones ad illum custodiendum, & conservandum oportunas, &, si umquàm aliàs, tum maximè necessarias, non solùm frequenter negligit, sed & apertè contemnit. Quo fit, ut primo mense, utì quotidiana docet experientia, creberrimi sint Abortus. Malum hoc ut penitus extirpetur, operæ pretium est, in hoc capite de Animationis Tempore disceptare.

2. \* Quatuor status in Fœtu, antequàm oriatur, attenduntur.

Primus est, cùm, factâ conceptione, formari incipit.

\* *De Tempore Animationis agitur in Archetypo c. 5., 6., 7., 8., 9., 10., 11.*

\* *In Arch. c. 7.*

Secundus, cùm ejus cor & cerebrum, præcipua vitæ organa, perfecta sunt.

Tertius, cùm partes suas omnes jam habet distinctas, atque formatas.

Quartus, cùm non tantùm formatus est Fœtus, sed taliter adauctus & corroboratus, ut aëris impressioni resistere, atque è materno utero exire possit.

Philosophi ac Theologi aliquem dictorum statuum eligentes, eidem tempus tribuérunt animationis.

3. *Joannes Marcus Proto-medicus Praegenesis* probabile existimavit, Fœtus omnes, dum adhuc maternis visceribus continentur, anima rationali carêre, cùm neque sensuum usum, neque organa ad ratiocinandi officium completa possideant. Ex quo sequeretur, in nullo Abortu verum committi homicidium, nec in censuras, vel irregularitatem incursum iri. Hæc opinio duces habebat *Platonem*, & *Asclepiadem*, à *Galen*o relatos, *Protagoram*, & non nullos è *Stoicis*, dicentes, animam Puero infundi, cùm nascitur, & respirare incipit. Verùm apertè opponitur Sacris Scripturis enarrantibus, Sanctum *Joannem Baptistam* adhuc semestrem, *exultasse in utero*; quod evidens argumentum est, multò ante nativitatem animâ, sanctificantis gratiæ capaci, fuisse præditum. Si vero ad animæ rationalis immissionem prærequiratur completissima organorum, & sensationibus,

& ratiocinio inservientium perfectio, ut *Marcus* cum suis opinabatur, expectandus ad animationem septimus annus foret; quod nemo ridiculum esse non videt. Sanè à *Plutarcho* atque *Tertulliano* memoriæ proditum est, *Heraclitum*, ipsumque *Asclepiadem* cum quibusdam *Stoicis*, falso illo principio duc-tos, eò usque tandem devenisse, ut adventum animæ rationalis in hominem ad puber-tatem ipsam rejecerint. Itaque *Joannis Marci* propositio inter proscriptas ab *Innocentio XI.* vigesimum quartum locum obtinuit.

4. *Aristoteles* docet, venire animam, to-to Embryone cum suis partibus distincto, atque formato, etsi non adaucto, corroborato, & ad nativitatem idoneo. Porro plenam formationem contingere putat in Maribus, quadragesimo die; in Fœmellis, octoge-simo vel nonagesimo, prope finem tertii men-sis, & initium quarti; atque deinde Fœmi-nas tarditatem propriæ organizationis & ani-mationis, cum celeritate crescendi, florendi, inveterandi, & marcescendi præ Maribus com-pensare. Hujus Philosophi placitum post *Petrum Lombardum*, Scholasticorum Cory-phæum, evasit commune: Etenim, cum cir-ca eam ætatem jam Theologi consenserint, animas non ex traduce provenire, sed sigil-latim unamquamque creari; cumque ferè si-mul introducta in scholas fuerit lectio, & explicatio librorum *Aristotelis*, qui penè

unus audiebatur ; ejus opinionem de adeò tarda animatione , cum Divo *Thoma Scholastici* omnes amplexi sunt. Sed ad hæc maximè contulère libri , tum de *Spiritu & Anima* , tum de *Ecclesiasticis Dogmatibus* , qui eo tempore sub *Augustini* nomine circumferebantur : In his enim docetur , animam in organizata jam corpora infundi. *Aristoteles* etiam sententiam secuta est *Glossa cum Juristis* ; omnes denique Medici , ita ut ferè universalis effecta sit , ac in eodem gradu permanserit usque ad annum 1640. , quo *Thomas Fienus* ipsi bellum indixit ; quamquam , ut verius dicam , Medici plerumque nil aliud asserebant , nisi Fœtum quadragesimo die , vel tardiùs conformari ; de animatione silentes , utpote quos corporum cura , non verò animarum haberet sollicitos. Verùm ad *Aristotelem* redeamus. Scribit itaque ipse , masculinum Fœtum , quadragesimo die , fœmineum , octogesimo reperiri formatum ; & narrat , eum , discerptis membranulis , magnitudine majorem formicam æquare , oculis grandibus , ac genitalibus , cæterisque membris distinctum ; itemque , ubi in aliquem liquorē immergatur , dissolvi , & liquefcere ; in aqua verò frigida condensari.

5. At , summi hujus Philosophi dictum difficultatibus ex omni latere , iisque molestissimis , premitur. Nam primò , innumera experimenta demonstrant , Fœtum non ita serò ad magni-

udinem formicæ majoris ascendere. *Petrus Gassendus* [a] quinque retulit abortivos, eorumque mensuras. Primus dierum certò duodecim, formatus erat à summo capite usque ad pedum digitos; moles tamen tertiae parti unius *parisiensis* digiti respondebat. Secundus, viginti quinque dierum erat, dobranti, seu novem partibus vel unciis digiti *parisiensis* æqualis. Tertius, qui quadraginta dierum, duobus digitis, & unciis octo. Quartus, erat merum skeletrum dierum quadraginta duorum, duos digitos cum diuidio habens longitudinis. Quintus, trimestris, longitudine potitus erat quinque digitorum, unciorum octo, & amplius, nimirùm quasi pedis diuidii; ita ut quadragesimo die solum embryonis caput, saltem ciceris molem æquare necesse sit. Cum *Gassendianis* concordant *Theodori Kerkringii* experimenta. Insuper *Joannes Baptista Bianchi*, primus in *Taurinensi* Universitate Anatomicus, innumeros ex omni penè graviditatis die abortivos in suo musæo collocavit, & complurium ex illis exactissimam figuram exhibuit. [b] Qua-proptèr Fœtus ab *Aristotele* visus, paucos fortasse dies, non yerbè quadraginta numerabat: Sed error verosimiliter in calculo temporis intercesserat, & nihilominùs humana configuratione jam præditus erat.

[a] Pet. Gaff. t. 2. *Physic. de Generat Anim. c. de Animat. Fœtūs.*

[b] Bianch. in *Tract. de Nat. Generat.*

6. Secundò , magna illa temporis differentia , quam statuit *Aristoteles* inter animationem Masculi , & Fœmellæ , Peripatûs etiam Discipulis , è quorum numero *Diana* , fabulosa videtur. *Diogenes Apolloniates* , qui Masculos quarto mense formari dicebat , Fœminis , *Censorino* referente , non nisi mensem alium addebat : Sed hoc ipsum rejiciendum. *Enim* verò quis nesciat , à muliere gemellos diversi sexûs eodem partu in lucem effundi ? Si autem simul maturuérunt , ut unà oriuntur ; cur non æquè simul ad animationem idonei effecti sunt ? Maximè , cum id non solùm in mulieribus , canibus , felibus , suibus , similibusque multiparis , sed etiam in oviparis perpetuo ritu observetur : Nam cujuscumque sexûs fuerint pulli in ovo inclusi , mares , vel fœminæ , pari tempore perficiuntur , & simul excluduntur. Quòd si fortè in Fœtu masculino priùs sentiatur motus , quàm in fœmineo , id majori vivacitati spirituum tribuendum. Sic etiam , si quandoque fœminilis Embryo nimis tardè compleri visus fuerit ; vel in temporum supputatione erratum est ; vel mora ipsa à particulari causa , in generalem regulam non evehenda , originem traxit. Pubescunt quidem Fœminæ antè , quàm Mares ; at ex hoc potius deduceretur , etiam antè organizari.

7. Sed validissima còntrà *Aristotelem* est objectio desumpta ex motu , qui , teste *Hippocrate* , etiam sexta die in Embryonibus reperitur ,

peritur, immo etiam antea, si recentioribus fidem  
habeamus. Verum quidem est, *Aristotelem*,  
quem Divus *Thomas* sequitur, contendere,  
Embryonem prius anima vegetante informari,  
ac vitâ plantæ vivere: Illaque corruptâ, sen-  
tientem acquirere, ut vitâ vivat animali: Et  
hac destructâ, rationabilem consequi: Quam ob-  
rem dici posset, motum primis diebus ab anima  
sentiente procedere. Sed hoc *Aristotelis* in-  
geniosum inventum, nullo modo usque adhuc  
majori Philosophorum numero placuit. Sicuti  
enim tres animas co-existentes non habemus  
(etsi non defuerint *Aristotelici*, qui hoc do-  
cuerint) sed unam tantum, quæ omnia simul  
& vegetantis, & sentientis, & rationalis mu-  
nera adimpleat; ita dicendum est, hanc solam  
animam, quæ rationalis est, in Embryonem  
eo tempore saltem infundi, quo is incipit pro-  
priam animantis vitam habere, ut functiones  
omnes, quas juxta præsentem organorum ma-  
jorem, vel minorem perfectionem exercere  
valet, exequatur. Sedulò enim perpendere  
oportet, haec duo valde inter se discrepare:  
Nimirum, animam præsentem, esse rationale;  
& animam præsentem, ut rationale operari:  
Secùs dici posset, animam sentientem usque  
ad septimum annum, vel saltem, usque ad na-  
tivitatem perdurare: Fœtus enim in utero  
semper dormit: Nec solùm organa ad ratio-  
cinium perfecta non habet, sed neque objecta  
exteriora sensibus percipere potest. Quo-circà

omnes, unâ exceptâ *Conimbricensi*, Academiæ, *Aristotelicam* animarum successionem oppugnant.

8. \* Animæ infusionem usque ad totalem Fœtûs formationem non differri, sed ad summum perfectis principalioribus organis contingere, *Petrus Gassendus*, atque alii, præsertim recentiores, opinantur: Nec pauci favent ex *Gallenicis*, & *Peripateticis* ipsis. Namque isti supponunt, post paucos à conceptuies, organizationem accidentalem compleri; scilicet cum, juxta eorum loquendi modum, virtus plastica, seu formatrix præparationem explet materiae seminalis, eam diversis qualitatibus & accidentibus, ad confandas tam multas, easque heterogeneas corporis partes idoneis, perficiendo. Organizatione accidentalí completa, natura substantialem aggreditur; id est, membrorum Fœtûs formationem: Ac primò principalium, scilicet cordis, cerebri, & hepatis; deinde reliquorum. Atque hæc divisio organizationis in accidentalem, & substantialem, apud *Peripateticos*, præsertim *Scotum*, *Suarezium*, & *Hurtadum*, celebris evasit.

9. Itaque varii cum *Gassendo* animationem evenire docent circa finem organizationis accidentalis, quæ co-incidit cum initio substantialis, vel saltem quando, formatis jam prin-

\* In Arch. c. 8.

cipalibus membris, motus systolicus, & diastolicus inchoatur. Et quidem pro hac opinione laudantur ex antiquis, *Avicenna*, *Philoponus*, *Hugo Victorinus*, & *Albertus Magnus*: Ex recentioribus, *Rainaudus*, *Martianus*, *Cararius*, *Mercurialis*, *Garzias*, *Menas*, *Mirindolus*, aliique à *Dandino* relativi. Quod verò ad tempus, quo dicta organa formata jam sint, vel saltem præparata materiâ, eorum formatio incipiat, Authores ad invicem distrahuntur.

10. *Thomas Fienus*, celebris *Antverpiensis* Medicus, animationem statuit die tertio, rem tribus integris tractatibus prosequens. *Mirindolus*, septimo die animationem fieri putavit: *Tomai*, decimo quinto, quando Fœtus, ut ipse ait, respirat: *Albertus Magnus*, vigesimo quinto: Cæteris verò satis fuit dicere, à septimo suprà. Horum Philosophorum sententia potissimum innititur *Hippocratis* auctoritate, nimirùm tam in Libro *de Natura Pueri*, quam in alio *de Carnibus*.

11. Hoc autem extra dubium est, sententiam, quæ Fœtum animari defendit septimo die, quia jam abundè sufficienti gaudet formatione, hodiè longè magis amari, quam *Aristotelicam*, penè apud Medicos antiquatam, uti *Gassendus* adnotavit. Cum autem hic inter præcellentiores omnium ætatum Philosophos meritò sit recensendus, non hic omitteram, eum, philosophicis rationibus adactum,

in id propendere, ut credat, animam à primo instanti conceptionis infundi; [a] quæ sententia, ut ipse ait, *longè planior est: quippe nullum invenitur commodius momentum; cùm, assumpto quolibet alio, incredibile fiat, cur non tantisper expectari debuerit.* Hoc non obstante, propter legum authoritatem, quæ inter Fœtum animatum, & inanimatum distinguunt, sat illi est dicere, animam probabiliter infundi septimo die; at incertam esse adhuc rei veritatem, ac soli Creatori perspectam.

12. Sententiæ autem illi, ad quam ita inclinavit *Gassendus*, libentissimè, firmissimèque adhæsit *Paulus Zachias Medicus*, & *Jurisconsultus Romanus*. Hic, in primo sui Operis Tomo opinionem eorum amplexus fuerat, qui ex malè-intellecto *Hippocrate* animationem Fœtūs masculini, usque ad trigesimum, fœminini vero, usque ad quadragesimum secundum ampliabant. At in Tomo secundo, qui posthumus est, *Alexandro* septimo dicatus, & Anno 1661. typis editus, primò dicta revocavit, & multiplici eruditione, ac philosophicis rationibus adstruxit, Deum, post conceptionem creare immediatè animas, cùm scilicet juxta *Peripateticorum Scholam*, quam ille sequitur, virile semen,

[a] 2. *Phys. de Generat. Animal. c. de Anim. Fœtūs.*

atque fœmineum commista jam sunt. Nondum ejus tempore vulgata & accepta erat Philosophis & Medicis, Ovarii muliebris sententia. Quà-propter, juxta antiquum commisionis utriusque seminis systhema philosophatur, dicisque animam nulla temporis intercapedine post conceptionem materialem infundi, ut præsentia suâ, vitalique influxu coöperetur non solum vegetationi, & augmento, quod per interiorem sit alimenti sumptionem; sed & formationi, ac perfectæ organizationi Embryonis, qui gradatim, ut constat, vel ab ipso principio successit; ac denique animam hanc non aliam esse à rationali, ut plura atque gravissima absurdâ evitentur, maximè verò successio trium animarum, quæ secùs absque necessitate multiplicarentur. Quamvis autem ad Libri finem protestetur, se probabili tantùm ratiocinio ductum scribere, & Ecclesiæ Judicio cuncta submittere; [a] Nihilominus in ipsa postuma editione ita gravia reddit rationum momenta, quibus ejus sententia statuitur, ut sibi persuadeat, de eadem non amplius esse ambigendum.

13. Id autem argumento non contemnendo confirmat. Celebrat Catholica Ecclesia Beatæ MARIAE Virginis Conceptionem, intenditque, ut Alexander VII. declaravit, [b] de ejus

E 3

[a] Zacch. Quæst. Medicoleg. t. 1. l. 2.  
q. 9. n. 2.

[b] Alexand. VII. Constitut. Solicitudo.

Conceptione formalī, hoc est, de primo animationis instanti, Festum agere; non de materiali, quae sola, uti Theologi dicunt, non esset Festi Ecclesiastici objectum. Solemnitas cadit in octavum diem Decembris ex Divina Revelatione, à Divo *Anselmo* examinata, atque probata, à quo etiam Festum ipsum in *Anglia* originem sortitum est. Si ergo Nativitas Virginis Contigit octavo Septembri, ut ex antiquissima Ecclesiæ Traditione consentiunt omnes; sequitur, Virginem, quæ novem mensium spatio in utero mansit, Animam semper Sanctissimam, & omni macula immunem eodem conceptionis suæ corporeæ die accepisse; quod cum ipso *Anselmo* una voce dicunt Authores alii, à *Plazza* & *Alberto* citati. [a] Neque potest hoc ipsum miraculo deputari, sicut in CHRISTI Conceptu: Redemptoris enim generatio, utpotè Divinissimi Spiritus Opus, prodigiosa fuit in omnibus; [b] at MARIE Generatio naturæ ordinem sequuta est. Adde, quod in hac ultima oportet miraculum istud ratiociniis adstruere; non verò tantum supponere ad vim argumenti eludendam.

14. Huic tamen *Zacchiæ* sententiæ paucis quidem antè annis præluserat *Thomas Fienus*.

[a] *Plazza Causa Immaculat. Concept. act. 3. art. 2. n. 325.*

[b] *Basil. Hom. de human. Christi Generat. S. Joann. Damasc. de Fide Orthod. c. 2.*

Cæterū nullo modo recens erat: Etenim ultra rationes ab intrinseco ductas, innumeros habebat Suffragatores, & patres, & antiquos Philosophos, ac Medicos, ut illos taceam, qui animam corpore valde antiquorem autumârunt; adeò ut dicendum sit, *Aristotelis* potius opinionem, quæ nimis à conceptu animationem elongabat, minùs olim fuisse cognitam, minùsque receptam.

15. Profectò S. *Basilius* [a] nolebat inter Fœtum animatum, & inanimatum distingui. Unde hoc autem? Nisi quia verisimilè à principio animam infundi credebat, quamvis aliter aliqui sentirent. Id ex *Balsamone*, *Antiocheno* Patriarcha sæculo duodecimo exente, colligitur. *Hoc*, ait ille, *dictum est propter eos, qui docent, quod, quando semen matrici avenit, non statim formatur in hominem; sed prius quidem fit sanguis, deinde in carnem humanam concrescit, deinde efficitur.* Ex quo apparet, eo tempore paucis opinionem de seriùs contingente animatione placuisse. Quod autem ea fuerit Magni *Basilii* sententia, ex S. *Gregorio Nifseno* ejus Fratre atque Discipulo, intelligi potest, qui cæteroquì animas creari, non ex traduce propagari, judicabat: Is enim erat, *Norisio* teste, [b] Græcorum omnium sensus.

E 4

[a] *Basil. Epist. Canonic. c. 2. ubi Balsamon.*

[b] *Noris. in Vindic. August. c. 4. §. 3.*

Sanctus vero Cæsarius : [a] *Longè etiam mihi velis ab illa resilias opinione, quod corpore posterior sit anima.* Citantur etiam pro hac sententia Sanctus *Cyrillus Alexandrinus*, [b] & Sanctus *Gelasius Papa*, [c] quatenus assérunt, ubi corpus vitæ capax est, illico à Deo animam accipere ; cum constet cæteroquì ex ipso *Aristotele*, Embryonem vivere etiam à principio, quod & Divus *Thomas* admittit. Apertiùs plerique veteres Theologi, aliique Scriptores, tum Græci, tum Latini locuti sunt; præter eos, qui propagationem ex traduce docuerunt, vel ut problematicam putaverunt.\*

16. Ex Philosophis cum *Zacchia* sensere *Alexander Aphrodisæus*, celebris *Aristote- lis Commentator*, *Themistius*, atque *Gale-nus*. [d] Idem docet antiquus Author Libri *Galeni* nomen præ se ferentis, cui titulus: *An Animal sit, quod in utero est.* Demum ex *Zacchiæ* coætaneis, ipsius sententiam am- plexi sunt *Fortunatus Fidelis*, *Bartholo-mæus Corte* [e] *Gaspar Bravo*, aliique in-

[a] S. Cæsar. *Lib. 6. Dialog. 3. in Responf. ad Interrog. 115.*

[b] S. Cyrill. Alex. *I. 1. in Joann. c. 9.*


[c] S. Gelasius *Papa Lib. de duabus Nat. contr. Eutich. & Nestor.*

\* *Citatos v. in Arch. c. 8. n. 15. & 16.*

[d] *Themist. lib. de Anim. cap. 12. Galen. lib. de Format. Fæt. c. 6.*

[e] *Fidel. Relat. Medic. lib. 3. sect. 6. c. 2. Corte in Epistol. de Tempore, quo infunditur Anima.*

numei \* eosdem seuti. Itaque huic sententiæ neque momenta intrinsecarum rationum, neque exrinsecarum authoritatum fulcimenta, neque aiquid aliud deest, quo minùs solidè probabils habeatur.



## C A P U T V I. \*

*De Tempore Animationis Prosecutio; &  
quanti referat, illud, aliaque anxie  
observasse pro Abortivorum Baptis-  
mate. \**

I. **P**ostquam de *Aristotelis* opinione propter objectiones, ac nova experimenta cœptum est dubitari, plerique Theologi docuerunt, nullum Abortum, etsi imperfectissimè figuratum, esse derelinquendum; sed perquirendum, utrum aliquis in eo insit motus, ut, saltem sub conditione, baptizetur. *Si Dei Vicarius* Paulus V., ait Maximiliani Dezza, [a] in *Rituali Romano bapti-*

\* *Illos vide in Archetypo l. 1. c. 11. ad n. 25.*

\* *Non esse in Jure Canonico, aut Bullis Pontificiis decisum, prius perfici Fœtum, deinde verò Animam creari, vide ibid. toto cap. 9.*

\* *In Archetypo c. 10.*

[a] Dezz. in *Opusc. in Calce Apolog. Franc. Verde.*

*zari præcipit Fœtum, si vivat, si vialem  
indicit motum; solere autem movere præ-  
cipuis membris circa tertium, jam non tam  
suadetur, quam ostenditur: Erit-je trige-  
simus dies expectandus nobis, ut de Bap-  
tismo deliberemus? Horum Doctorum me-  
minit quoque *La Croix*: [a] *Autores gra-  
vissimi cum Cardenas dicunt, Fetus abor-  
tivos Mulierum, etiam imperfectissimè fi-  
guratos, esse baptizandos, si leviter signum  
vitæ per motum; quia putant aliqui Me-  
dici, quod Fœtus humani possit paucos, v.g.  
tres aut quatuor dies à conceptione, statim  
animentur anima rationali.**

Sed ultra omnes *Hieronymus Florentinus*,  
*Congregationis Lucensis à Matre Dei*, Vir  
æquè doctus, & zelo animarum incensus, pro-  
gressus est. Hic *Zacchiæ dissertationem post-*  
*humam pro festina Fœtūs animatione, quæ*  
*non nisi Anno 1660. Lugduni imprimi cœpta*  
*est, adhuc præ manibus non habuerat: Nihilo-*  
*minus Anno 1658. Lugduni typis dedit ce-*  
*leberrimum de Hominibus dubiis, sive de*  
*Baptismo Abortivorum Opusculum. Firmat*  
*in eo tum speculativè, tum practicè, incer-*  
*tum esse verum animationis tempus; proba-*  
*bile tamen esse, animam, nempe rationalem,*  
*ab ipso principio, immediatè scilicet post*

[a] *La Croix l. 6. p. 1. de Bapt. dub. 4. n.*  
*294. Carden. in prima Chrisi Disp. l. 14. c. 3.*

conceptum, infundi: Quare docet, sub peccati mortalis reatu abortivos omnes, quantumvis minimos, etsi phaseolo, vel grano hordeaceo non majores, esse baptizandos, quantumcumque breve fuerit tempus à conceptione dilapsum; quamvis etiam vitæ signum per motum non præbeant, dummodò corrupti, vel detriti, seu manifestè mortui non dignoscantur. Admonet autem, Baptismum non nisi sub conditione administrandum; tum quia philosophicè dubium est, utrùm animati sint, an non: Tum quia, cùm adhuc secundulis involvantur, incertum est, an illæ validati Baptismatis obstent, nec ne.

2. Nemo anteà rem ex professo pertractaverat; nemo tam longè processerat: Attamen Liber à pluribus tam Theologorum, quàm Medicorum Academiis, insignibusque Doctribus summo plausu exceptus est, utì ex Censuris liquet, ab unoquoque eorum singillatim, clarèque conscriptis. Facultates Theologicæ, sunt *Parisensis*, *Viennensis*, & *Pragensis*. Et quamvis hæc ultima cum quadam limitatione loquatur, *Parisensis* tamen *Florentinii* doctrinam indubitatam appellat, ac ad pravas mulieres ab Abortu deterrendas, quæ illum, prætextu nondum factæ animationis, facillimè procurant, utilissimam. Facultates verò Medicæ, sunt *Viennensis*, & *Pragensis*. Accedit Rector Universitatis *Remensis*, ac duo celebres Episcopi *Caramuel*, & *Cres-*

*pus*; item Stephanus *Luvinschlag*, Episcopi *Viennensis* Generalis Vicarius, & magno numero alii, præsertim è Collegiis *Salmanticentibus*: [a] Eaque occasione in *Pragensi* Universitate, uti in Censura Medicæ Facultatis apertè legitur, publica disputatio instituta est, in qua propugnatum, intrare statim rationales animas post conceptionem.

3. Quoniam verò nemo, uti diximus, eò usque obligationem baptizandi Fœtus omnes extulerat, Liber non-nullorum subiit offensionem, atque apud Sacram *Indicis Congregationem* novitatis est accusatus. Ejus igitur examine tribus Consultoribus commisso, cum ii, doctrinam esse probabilem, retulissent, Purpurati Patres censuerunt, Librum, præfixa sequenti protestatione, à Magistro *Fano*, Congregationis Secretario, ex condicto cum Auctore composita, typis esse recudendum.

*Auctoris de Ordine Superiorum  
Declaratio.*

„ Hanc ergo sententiam de Baptismo Ab-  
„ ortivorum, tota hac disputatione compre-  
„ hensam, & præsertim sectione undecima  
„ expressam, ab eminentissimis Patribus Sa-  
„ cræ Congregationis jussus explicare, libens  
„ volensque, gravissimo prudentissimoque doc-

[a] Eos vide in Archetypo citatos cap 10.

„tissimorum Principum judicio & imperio  
„pareo: Et in primis affero, me nihil in præ-  
„fenti materia definiendo dicere, sed uti rem  
„probabilem, & per modum problematis  
„proponere. Deinde adverto, me neminem,  
„quod ad praxim attinet, sub mortali obli-  
„gare; sed tantum rationes speculativas id  
„suadentes exponere, ac in suspenso relin-  
„quere; sicuti nec inducere novum aliquem  
„ritum in Ecclesiam, cum id ad Sacram *Ri-*  
„*tuum Congregationem, Summumque Pon-*  
„*tificem spectet. Ita sentio, ita scripsi, & ita*  
„me scribere & sentire protestor, ut æquum  
„est, humilem ac devotum Sanctæ *Roma-*  
„*næ Ecclesiæ Filium, qualem me esse, &*  
„fuisse haec tenus, & futurum imposterum  
„sanctè profiteor. „

Præceptum est insuper *Florentinio*, ut explicaret se de iis loqui abortivis, qui omnino sensibiles essent, ac prima saltem ostenderent humani corporis lineamenta: Qui enim Baptismum suscipit, oportet, ut sit non minus ipse sensibilis, quam Sacra ipsa Lotio suscipienda. His adde, quod Foetus baptizandus sit; nequaquam verò semen, neque molæ, aut caro excrementitia.

4. Quæ sapientissimè constituerat Congregatio, ea omnia fideliter executus est *Florentinus*, opusculum *Lucæ* denuo Typis apud *Jacobum Pacium* evulgans. Imò primæ disputationi tres alias adjunxit. In secun-

da, quam ipse *Romæ* quoque, se instantē  
à Viris doctissimis, & præcipuis Pontificiæ  
Curæ Administris examinatam atque proba-  
tam, publici juris fecerat, iterum urget, &  
amplificat majora suarum rationum momenta.  
In tertia, argumentum illud, à Matris Dei  
Conceptione [a] petitum, inculcat, narrat-  
que *Alexandrum septimum*, cum declara-  
ret, Ecclesiam de tempore, quo Beata Vir-  
go primū animata fuerit, Festum agere,  
expressè judicasse, non oportere ut dies oc-  
tavus Decembris immutaretur, Solemnitatem  
ad alium posteriorem, putà quadragesimum  
vel octogesimum diem transferendo; quod  
Adversarii fieri debere contendebant, si verè  
Ecclesia *Mariæ* Animationem celebraret:  
Imò Episcopo *Crespos*, Regis *Hispaniarum*  
Legato, ipsum *Florentinii* Librum laudasse,  
ubi & ab intrinseco, & ab extrinseco proba-  
bile satis esse adstruebatur, facta semel mate-  
riali conceptione, statim & illico à Deo im-  
mitti animam. In quarta disputatione, Argu-  
menta omnia, sive Theologica, sive Philoso-  
phica, quæ contra Doctrinam suam objici  
possent, dissolvit. Validius erat illud à *Ri-  
tuali Romano* depromendum: In hoc enim  
nulla occurrit mentio Baptismi abortivis adeò  
minimis conferendi. Huic ipse diversis in lo-  
cis ita respondet: Rituale nequidem hujusmo-

di Parvulis Baptismum denegare; imò apertè præcipere, baptizandos esse Fœtus, qui vivi sunt; Philosophiæ ac Medicinæ discernendum relinquens, quinam eorum viventes, qui verò non, sint reputandi: Itaque, Argumentum retorquendo, subjungit: [a] Imò, quod est valde notandum, Rituale Romanum Pauli V. præcipit, ut, si quando contingat Matrem prægnantem mori, vivo Fœtu intra viscera remanente, extractus ab utero baptizetur; non tamen obligat Ministrum ad baptizandum post triginta dies tantum; sed tunc, qualecumque sit tempus periculi, quod prudenti Ministrorum judicio determinandum relinquit. Quare nostræ intentioni favet ordo Ecclesiæ; quatenus, mortua prægnante, eaque secta, statuit, ut, sine aliquo respectu ad tempus, baptizetur Fœtus, si sit vivus. Et alibi: [b] Ponamus igitur argumentandi gratiâ, hanc Matrem mortuam gestare in utero Fœtum, v. g. septem dierum: Ex hoc Ecclesiæ ritu, Fœtus septem dierum statim ab utero extrahendus est, & baptizandus. Sed, supposita sententia probabili, prudenti judicio existimandus est vivus, nisi per accidens, & ex causa aliquuj compressionis, aut contusionis eviden-

[a] Florentin. de Hom. dub. Disp. 1. sect.

4. n. 2.

[b] Idem Disp. 2. sect. 6. n. 8.

*ter appareat mortuus. Ergo juxta Ecclesiae ritum Fœtus septem dierum baptizandus est.*

5. \* His stabilitis, necessarium est in quo-cumque abortu, ante omnia Parentes, aliosque adstantes summam adhibere diligentiam in investigando, utrum Fœtus per motum prodat vitæ indicia, ut saltem sub conditi-one baptizetur. *Hippolyti Pagnotta Chirurgi Monteregalensis* uxor anno 1727. ab-ortiit, quæ tam brevi tempore utero gesta-verat, ut nequidem se anteà prægnantem cog-novisset. Cum autem sedulò perquireretur, quidnam effusum esset, inventus est Fœtus minimus, à secundinis jam solutus, magni-tudine apis, ideoque juxta tabulas Embryo-num à *Bianchii* observatorum, die vigesimo nono non major; quin-imò juxta Tabulas *Kerkringianas* fortasse minor: [a] Satis for-matus erat pro ætatis ratione, totusque mo-vebatur vitam ostentans. Eum *Susanna Pagnotta* rationali spiritu certè informatum reputans, absolutè baptizavit; qui deinde post decem horaria minuta mortuus, in Collegiata *Crucifixi* Ecclesia sepultus est. Nuper ego ipse alterum vidi Embryonem, ferè dierum sexdecim, vel paulò majorem, extinctum qui-dem;

\* In Arch. c. 12.

[a] Kerkring. *Antropogeniæ* c. 3. & 4. tab. 75. fig. 3. & 4.

dem; sed qui anteà motu se vivum exhibuerat, proptereà sub conditione baptizatum. Sed, heu! quanta in abortibus, prætextu non factæ verosimiliter animationis, parentum, vel domesticorum socordia, & intolerabilis stultitia! profectò pene supra fidem videtur, quod *Panormi* evēnit Obstetrici, cognomento *Græcæ*. Mulier, manè cùm abortiret, se menstruum fluxum, et si abundantiorem, pati credit, nec quid exiret, inspexit: Se enim prægnantem nesciebat. Postridie, cùm Obstetrix eam fortunâ inviseret, atque de fluxu audiret, pulsu tentato, pronunciat, illam abortisse. Quocircà indagine facta, folliculum secundinarum, certissimè non nisi præcedenti die emissum, quærit, repertum discindit, Fœtumque in ipso post viginti quatuor horas, ac fortè amplius, vivum deprehendit, atque baptizat. Minor hic erat die quadragesimo: Nam cammari molem non excedebat, eumque mortuum Ecclesiæ intulerunt. \* Vigesimâ Maji Anni 1745. *Angela*, Uxor *Salvatoris Jera-*  
*cii* Abortum passa est. Fœtus minimus, & non bene observatus, creditus est sanguis grume-factus; proptereà sepositus, & derelictus. Interim accurrit *Catharina*, Uxor *Ignatii Ca-*  
*vareta*, qui typographo operam dabat. Hæc, editionis Libri occasione, de diligentí inqui-

F

\* *Sequentia usq. ad n. 6. b. Arch. c. 5. n. 1.*

sitione facienda in Abortibus, etiam Fœtuum minimorum, audiverat. Igitur ejectamenta scrutari voluit, ac apertissimè deprehendit masculinum Fœtum completum, & vivum, eumque baptizavit. Is quatuor horaria minuta supervixit, & mortuus ad me ab eodem *Ignatio*, ut lætitiae particeps fierem, delatus, deindè in S. *Joannis Tartarorum* Parœcia sepultus est. Alia nuper abortiit, nec curavit inspicere, quid esset enixa. Tertia demum die, Infantem fuisse, animadvertisit, cùm scilicet secundinas emisit vacuatas Fœtu, quem sive vivum, sive mortuum in immunditiarum locum projecerat. Perniciosæ autem hujusmodi stultiæ ubique terrarum grassari videntur. *Quot non Fœtus abortivos* (querela est eruditissimi Viri [a]) *ex ignorantia Obstetricum & Matrum excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret, & corpus, licet informe, esset decentius tumulandum?*

6. Dixi, Genitores, aliosque adstantes summa vigilantiâ perscrutari debere, utrūm Fœtus vitæ det signa: Nam de facili poterit esse vivus, quin tamen ipsi hoc animadvertant. *Panormi Anno 1717.* æstivo tempore, horâ quartâ à solis occasu Abortum fecit *Ursula*, Uxor *Philippi Pedemontii*, remigum triremis

[a] Roncaglia t. 2. tract. 17. c. 4. in Reg. pro Praxi.

Præfecti. Fœtus exiit trimestris à secundinis exclusus, & in speciem omnino exanimatus. Itaque Domestici in fenestræ limine aëri fri-gido, & humido expositum (nam locus erat mari propinquus in suburbio) dereliquerunt. Sequenti die, horâ circiter undecimâ, consanguinei, cùm ad Mulierem solandam venissent, curiositate ducti abortivum inspicere voluerunt. Et ecce! ex umbilici nunc se attollentis, nunc deprimentis oscillatione, cognoscunt, ipsum vitâ non adhuc destitutum, quamquam horâ septima post Abortum. Eum ergo ad Parochialem Ecclesiam deferrunt, ibique baptizatum, ac deindè post duo minuta horaria defunctum capsulæ includunt, atque sepeliunt. *Cathanae* illustris Matrona circa quadragesimum prægnationis diem gemellos duos ejecerat. Unus jam putruerat; alter ita certè mortuus apparebat, ut *Archiate Tezzana*, Comes *Palatinus* cultro ipsum dissecuerit: Sed, aperto pectore, ex motu cordis periodico viventem comperit, & illico baptizavit.

7. Ubi brevissima fuerit prægnatio, multò fallacius mortis indicium erit privatio motûs in Embryunculo: Primò, propter aliquam syncopem, seu spirituum lassitudinem, uti expertus docuit *Harveus*. Secundò, quia in eorum sententia, qui arbitrantur animam illico post conceptionem infundi, statimque vitam inchoari, ubi nimirùm spiritus ferment-

tationis motum exordiuntur, fortè jam vivit Embryo; quamvis motu systolico, & diastolico non incepto, quia nondum cor, aliaque vasa, ad sanguinis circuitum necessaria, sunt probè constructa: Verùm anima jàm corpusculum possidet, ut præsentia suâ ejus partium inserviat perfectioni, quæ deindè ad motum periodicum instituendum ipsius organa sunt futuræ. Et hujusmodi ergo Embryoni conditio natum Baptisma non denegabimus, dummodò Embryo esse dignoscatur, habeatque prima Fœtûs lineamenta, nec laceratione, contusione, vel corruptione constet, ipsum vitâ carere.

8. Medici præteriti sæculi olim senserunt, Embryunculum, et si animatum, primis diebus non esse sensibilem: Namque in utero non nisi semen inveniebant, quod maxima ex parte post tres dies emittitur, cùm Fœtus interim vel in ovario lateret, vel per *Fallopianas* [a] tubas adhuc descensum suum prosequeretur, nec ad uterus pervenisset. Nihilominùs, postquam demonstratum est,\* generationem non fieri ex mixtione virilis seminis cum muliebri quadam limpha, sed ex ovo, quod verum est fœmineum semen, per virile semen fœcundato; compertum est etiam, Embryonem ipsi fœcundationi cum membris

[a] *Tubæ illæ sic dicitæ à Fallopio, earum Inventore.*

\* *Vide Archetypum l. i. c. ii. n. 2. & seq.*

suis præexistere, quamvis obscurè, & solo microscopio videndum; post fœcundationem verò semper esse in ovo sensibilem. Hæc autem omnia, quia nondum perspecta, siluit quidem olim *Florentinius*; hodiè verò sunt omnibus explorata. Manifestum insuper est, die tertio non solùm absque microscopio Fœtum, vermis instar, insipientibus apparere; sed & caput ipsius, quod sedes est animæ præcipua, discerni. Cæterū, et si sensibilis in se-ipso non esset, sensibile saltem esset ovum, quo concluditur: Hoc verò nihil est aliud, quām secundinæ, quæ non solùm cum Fœtu continuantur; verum etiam corporis ipsius dicendæ sunt partes, ad vitam, quò-usque in lucem prodeat, omnino necessariæ.

9. At dispiciamus hīc, utrūm casus dari possit, quo Embryo, v. g. quatuor, vel trium dierum, vel etiam ætate minor, dato, quòd anima rationali sit præditus, vivus per Abortum egrediatur, & non potiùs ante egressionem ipsum in materno utero mori necesse sit, aut saltem statim ac egressus externum aërem senserit? Evidem censeo, casum non esse impossibilem: Quamvis enim gravis ille tumultus ab Abortu suscitatus, facile possit Fœtum adeò tenellum perimere; considerandum tamen est etiam, horologia, similesque machinas, quò pauciori constant numero instrumentorum, eò difficiliùs labefactari. Et quidem puncta salientia pullorum, tametsi ab

ovis extracta , eo ipso tempore , quo necdum aliqua distinctio vasorum in eis valet esse conspicua , nimirum quarto die , vel in fine ipsius , aut sub initium quinti , diutiùs vivunt ; ut infinitis à se factis experimentis asseverat *Harveus* : Imd , si quandoque jam mortua videbantur , quia motu carentia , subinde aliquo fomento recreata , vitam denuò manifestabant . [a] Similia tradit *Christophorus Guarinonius* , *Rudolphi II. Imperatoris Medicus* . [b] Hic non solùm enarrat , in puncto salienti , quamvis membranâ inclusō , conspici pulsationes ; sed addit , eō morosiùs Embryonem vitâ destitui , quò imperfectior est .

10. Sed ad modum baptizandi Abortivos convertamur . Abortivus non solùm primariis membris instructus , sed toto etiam corpore completus , quod circa quadragesimum diem evenire putatur , absolutè baptizetur , si vitæ indicium motu præbet : Si verò motum non præ se fert ; at nihilominùs non est corruptus , aut lacer , aut contusus , quamvis lividus , ac sinè pulsu , respiratione , atque sensu , baptizetur sub hac conditione , *Si es capax.* \* Fœtus incompletus , sive primorum dierum , baptizandus est sub eadem conditione , quamvis

[a] *Harveus de Gener. Anim. Exerc. 17. in 3. Ovi Inspectione.*

[b] *Guarin. Opusc. de Nativ. Human. serm. 2. fol. 58.*

\* *Vide Arch. l. I. c. 12. n. I.*

adhuc secundinis involutus, ne tempus absfumamus cum periculo ejus mortis, ubi aëri exponeretur: Quæ conditio, *Si es capax*, respicit æquè tam dubium animationis, & vitæ, quād dubium, ne Baptismatis validitatibz obstent secundinæ. Quo factō, aperiantur secundinæ ipsæ, & iterum baptizetur ille sub dupli conditione, *Si es capax, & si non es baptizatus*; & hoc, sive motus in eo observetur, sive non; dummodò, illum evidenter jam vitâ spoliatum esse, non cognoscamus.

11. Incompleti porrò Abortivi, per immersionem in aliqua patena, vel cyatho aquâ pleno baptizantur. Nec timeat Sacerdos irregularitatem propter mortem ipsis maturataim, quamvis essent secundinis exuti: Si enim fortasse id aliquando eveniret, vita ipsorum adeò tenuis est, & conservatu prorsus impossibilis, ut in talibus circumstantiis propter formidinem, ne mors eisdem per paucula momenta acceleretur, Baptismus omitti non debeat.

12. Restat adhuc, ut cuidam petitioni faciam satis; nimirum, dignoscine facile possit, utrūm, quod per Abortum in principio prægnationis ejectum est, verè sit Embryo, an mola, vel sanguis grumefactus, aut aliquid simile? *Florentinus* in secunda Disputatione, examinata, & edita *Romæ*, ita respondet: [a]

F 4

[a] *Florentin. de Hom. dub. Disp. 2. sed. 7. n. 8.*

„ Sive igitur primis diebus, sive aliis insequen-  
„ tibus intra trigesimum, aut etiam quadra-  
„ gesimum diem, discernendum sit, quidquid  
„ immaturè ab utero effusum est, sive grani  
„ hordeacei, aut minoris phaseoli, sive ma-  
„ joris formicæ, aut nucis avellanæ, sive apis,  
„ aut grandioris muscæ, sive etiam digitæ mag-  
„ nitudinem exæquet; ( hujusmodi enim Me-  
„ taphoris Auctores recentem Fœtum metiun-  
„ tur ) hanc esse regulam statuo, ut, quando  
„ internus homunculus ob sui teneritudinem  
„ membranam nequivit abrumpere, & se ip-  
„ sum prodere, si involucrum illud effusum,  
„ appareat membranâ circumdata, quæ sit  
„ subalbi coloris, similis intestinis, figuræ  
„ ovalis, & quæ digito tacta mollescat, &  
„ cedat; quia peritorum observationes, & do-  
„ cumenta veri Fœtūs notas esse contestantur;  
„ tunc prudenti judicio pronunciandum est,  
„ Fœtum esse, non molam: Et quia hoc pru-  
„ dens judicium morali cum certitudine con-  
„ junctum est, de subiecto sensibili, & digito  
„ demonstrabili, atque ideò de subiecto Sacri  
„ Baptismi capaci jam constat; quia ex hu-  
„ jusmodi signis cognoscimus, Fœtum esse  
„ talem, ut in eo prima rudimenta vitæ intus  
„ existant. „

13. „ Si verò illud, quod ex utero Mu-  
„ lieris abortientis egressum est, sit caro in-  
„ formis, nigris venis, & sanguineis intexta,  
„ ad aspectum scabra, ad tactum dura, vel

„ etiam vario colore infecta , procul dubio  
„ molam esse , & frustraneam genituram , non  
„ Fœtum , judicabimus , & nullatenus bapti-  
„ zari oportet ; & multò magis , si ex utero  
„ sanguinis grumi , seu carunculæ exierint , mo-  
„ las esse , non Fœtus humanos , est asseren-  
„ dum : Nam etiam hujusmodi frustula car-  
„ nis , & sanguinis ad molæ substantiam per-  
„ tinere , judicavit *Hippocrates* ; & molæ  
„ speciem esse , cum *Avicenna* scripsit *Andr.*  
„ *Christ.* c. 29. „

14. „ Ad argumentum igitur dico , quod ,  
„ si supradictam regulam explicent Parochi ,  
„ eamque edoceant mulieres , etiam monta-  
„ nas , quas de materia & forma Baptismi  
„ alioquin oportet esse instructas , licet de istis  
„ sinè dubio sint magis incapaces , cùm sint  
„ à natura remotiora : illa verò signa sint om-  
„ nino naturalia , & sensibilia ; sequitur , non  
„ esse valde difficile , atque adeò nec in jure  
„ impossibile molas à Fœtibus dijudicare.  
„ Quare ad excellentissimum Dominum meum  
„ dico , monendas esse omnes mulieres nup-  
„ tas , & innuptas , imò & quascumque per-  
„ sonas , quæ in casu necessitatis privatim Bap-  
„ tismum tenentur administrare ; & Parochos  
„ posse uno verbo absque Medicorum con-  
„ sultatione , prædicta signa & notas ad utrum-  
„ que , Fœtum inquam , & molam , nec non  
„ ad alia excrementa dignoscenda inculcare ,  
„ & , ut veros Fœtus , sub conditione baptizent

„admonere. Illud vero, quod additur, de  
 „sanguineis exrementis, nescio, an secun-  
 „dum conscientiam ab aliquibus contra me  
 „objiciatur: Si quidem Obstetrices, quan-  
 „tumvis rudes, & imperitae, nisi cœcutire  
 „voluerint, optimè discernunt menstruum  
 „humorem ab humanis Fœtibus.,, Hactenūs  
**Florentinius.** Hæc eadem distinctionis indicia  
 similiter afferuntur à *Bianchio.* [a]

15. Evidem notatu dignissimum censeo,  
 molam à vitio, quo secundinæ, & Fœtus  
 inæqualiter nutriuntur, provenire: Hic enim  
 extenuatur; illæ contra immaniter excrescunt.  
 Falsum vero germen vitium supponit in Fœ-  
 tu ipso, quod eundem paulatim interimit,  
 & extinguit. Quapropter cum tandem, Fœtu  
 penitus abolito, secundinæ solæ nutriantur,  
 hæc in molam convertuntur. Porro, oportet  
 sufficiens tempus interlabi, ut magna hujus-  
 modi mola perfici possit. Quocircà primis  
 graviditatis diebus involucrum, quod exit,  
 verum Fœtum continebit; quamquam illud  
 ipsum, in utero si retineretur, forte cursu  
 temporis, vero Fœtu primùm exanimato,  
 deindeque deleto, in molam, vel falsum  
 germe esset degeneraturum. Primis diebus  
 prægnationis propterea, de quibus, & pro  
 quibus hic sermo est, vix casus dari poterit.

[a] Bianch. *de vitiosa generat.* fol. 118. ad  
 132.


in quo dubium istud, Cæteroquì extricatu facile, utrùm nempe Fœtus, an mola sit, locum sibi vindicet. Nam in progressu graviditatis, adulto jam volumine, quod per abortum emittitur, quisnam, etsi stolidus, Fœtum à mola non commodissimè discerneret? Expedit autem & ipsas molas dissecare, & inspicere, num aliquis fortè in eis lateat Infantulus, quod non semel accidisse, & superiùs ostendimus, & inferiùs ostendemus.





## LIBER II.

De auxilio Infantibus non-natis præstando,  
Matre defuncta.



## C A P U T I.

*Prægnante mortua, succurrendum Fætui  
Partu Cæsareo. Præcautiones, ut  
prosperè succedat.*

I. **Q**uemadmodum fructus, quo usque ab arbore penderet, arboris ipsius pars non immerito appellaretur; ita & non-natus Infans, dum utero clausus, & maternis visceribus manet annexus, Matris quodammodo portio dicendus est; imò in jure, cum illa pro una eademque persona reputatur: Quamvis enim vitâ Matris reipsa non vivat; communem tamen cum ea aleam frequentissimè

subit. Profectò prægnantis mors, ubi christiana charitas ad opitulandum non occurrit, erit etiam Fœtui sine ulla dubitatione exitialis. Postquam igitur satè de abortibus ar- cendis, abortivisque juvandis differuerimus, exponendum est etiam, quid pro Filiolo agendum sit, ubi Mater ante partum occumbit; qua ratione scilicet naturalis pueri na- tivitas per artificialem, quæ *Partus Cæsa- reus* dicitur, felicissimè suppleatur.

2. Partum hunc *Cæsareum* expressè præ- cipit Rituale Romanum: [a] *Si Mater præg- nans mortua fuerit, Fœtus quamprimum cautè extrabatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur.* Idem statuit D. *Carolus Borro- mæus* in *Instructione pro Baptismo.* Idem Sy- nodus *Coloniensis* An. 1280. Cap. 4., & *Lin- goniensis* An. 1404. quibus consonant ve- tusta *Decreta Cameracensia*, in Synodo An. 1550. renovata, ac *Synodus Parisiensis* An. 1557. *Senonensis* quòque An. 1524. Idipsum denique docet *Divus Thomas*, [b] ac cæ- teri summo consensu Theologi.

3. At prægnantis mortuæ sectio non à ju- re tantùm Canonico, sed etiam Civili de- cernitur in Libris *Digestorum*: Imò, & à Le- ge ipsa Regia, ab antiquis nimirum *Roma- norum* Regibus lata, & verosimiliter à Nu-

[a] *Rit. Rom. tit. de Bapt. Parvul.*

[b] *D. Thom. 3. p. q. 68. art. 3.*

*ma: Negat Lex Regia, mulierem, quæ prægnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur: Qui contrà fecerit, spem animantis cum grava peremisse videtur.* [a] Certè, natura ipsa hunc partum insinuasse videtur, cùm, sola ejus operante virtute, plures, Matre mortua, Fœtus aliquando sponte, ac sinè alterius adjumento egressi sint. Frequenter autem in *Romanorum Legibus* ejus mentio recolitur. [b] Innumeris etiam traduntur ab Historicis, hoc remedio à morte vindicati adolevisse, ac magno demum tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ bono illustres evasisse: Nam SS. *Lambertus Vinciensis Episcopus*, [c] *Drogo*, atque *Raymundus Nonnatus*; item *Gregorius XIV.*, aliisque insignes Viri, quorum meminit *Rainaudus*, [d] hoc modo nati ad lucis usuram prodiere. Id ipsum alii de *Scipione Africano* dixerunt, qui propterea *Cæsar* appellatus, *Cæsarum cognomen posteris suis transmiserit*, à quo nonnulli, Partus *Cæsarei* nomenclaturam emanasse, opinantur. [e] Profectò Deus *Cæsones* istos adeò protegere

[a] L. Negat. *DD. de Mort. Inferend.*

[b] L. Posthumus *DD. de Inoffic., Testam.*

L. Si Ego *DD. de Publician. &c.*

[c] *Acta S. Lambertii an. 1154.*

[d] Theoph. *Rainaud. t. 14. tract. de ort. Infant. per Sect Cæsar. c. 1.*

[e] Plin. *Hist. Nat. l. 7. c. 9. Solin. l. 4.*

solitus est, ut indè veterum celebris persuasio ortum habuerit, illos nimirùm fore fortunatos. [a]

4. Hæc reputans Synodus *Lingonensis*, de qua suprà, quadraginta dierum Indulgenciam omnibus Partum *Cæsareum* suadentibus, vel ad illum quoquo modo cooperantibus est elargita. Quod etiam plerique è *Siculis* Episcopis præstiterunt.

5. \* Itaque ante omnia necesse est, Sacerdotes, Parochos præsertim, sedulò in Concionibus, & Catechesibus populos edocere, quòd, ubi Mulier certò, vel probabiliter prægnans vitâ pericitatur, ejus Domestici, Parentes, Consanguinei, Affines, ipsius morte non expectata, rem Parocho citius denunciare teneantur, quo, ipsa decedente, statim, & commodè Partus *Cæsareus* ventris incisione peragatur, ad Infantem scilicet ab utero extrahendum, & baptizandum: Imò, ubi sit maturus, vel nativitati jam proximus, qualis interdum erit septimestris, ad ipsius corporalem vitam conservandam; cùm in hisce casibus, non secùs ac alii, & vivere, & adolescere possit, utì exemplis jamjam allatis fit manifestum. Expedit autem, Parochum accersere, quamvis fortè non desint alii Sacerdotes, qui moribundæ diligenter assistant.

[b] Plin. *Hist. Nat.* l. 7. c. 9. Cornel. à Lapid. *in Genes.* c. 35. n. 18.

\* In Archet. n. 2.

6. At, si Propinqui, & Domestici Parochum de prægnatione moribundæ monere prætermitterent, ad illam sub gravi peccato denunciandam Vicini, & Extranei quicunque, de re fortè consciī, tenebuntur; cùm, ut optimè adnotavere Doctores, [a] cæteri non minùs, quàm Parochus ipse, ad Infantem in extrema illa necessitate adjuvandum, præsertim, ut illi Baptismus conferatur, charitatis jure adstringantur. Si autem huic officio desint Propinqui ac Domestici, vel Extranei, eorumque ignavia Fœtus absque regenerationis Sacramento periret, ii non levī pœna essent certissimè puniendi.

7. Sed Parochi ipsi numquam in Propinquorum prægnantis fide conquiescent, ab illis graviditatis notitiam expectantes; verūm præveniendo, solerter atque solicite sciscitabuntur, utrūm conjugatæ mulieres, quæ Sacro Viatico, aut Pœnitentiæ Sacramento in periculis morbis muniendæ sint, fortè utero gerant, monente *Mussartio*: [b] *Si tamen nemo aliis id agat, tibi, Paroche, ex singulari causa incumbet.* Atque hæc inquisitio multò magis adhibenda, ubi prudens metus, vel suspicio oboriatur occultæ, ac præser-

tim

[a] Possevin. *de Offic. Cur.* c. 6. q. 10.  
Mussart. *in Manual. Paroch.* p. 2. c. 2. n. 2.

[b] Mussart. *in Manual. loco cit. Gobat.*  
*tract. 2. de Bapt.* c. 8. n. 260. *in Append.*  
*ad Casum 8. §. Lucæ.*

tum illegitimæ prægnationis. Ubi verò mulier, quamquam soluta, & maximè juvencula, se in Sacra Confessione de carnalibus lapsibus accusaret, dexterè tali casu & cautè interrogari oportebit; atque, si graviditatem fassà fuerit, inducenda erit ad rem extra Confessionem detegendam, ut in mortis eventu æterna Pueri perditio impediatur: Hæc enim infinitè, & extra omnem dubitationem cuicunque Matris infamiæ præponderat; ita ut, si spirituali Filioli saluti sufficienter providere illa recusaret, in statum damnationis se conjiceret, nulloque modo esset absolvenda; uti disertè *Sylvius, Pontas*, [a] aliique Theologi docuerunt.

8. Dixi, *extra Confessionem*: Non expedit enim, quod Parochus seu Confessarius facultatem tantummodo obtineat à muliere, hujus rei notitiam in Confessione habitam illius Propinquis, Obstetrici, & Chirurgo communicandi: Nam in decursu negotii, & ubi ad incisionem veniendum esset, facilè ob supervenientes, improvisaque circumstantias & obstacula, inextricabiliter implicatum se sentiet, cum respectu aliorum Sacramentali Silentio irretiatur. Curandum igitur, ut infirma factum Confessario sub solo naturali sigillo, & prorsus extra Confessionem revelet: Sic

G

[a] *Pontas Dict. Cas. Consci. t. 2. Confess. 2. casu 10. Sylvius Resolut. variar. V. Sigillum 1. Decembris 1641.*

enim cuicunque dubitationi, quæ occurrere poterit, via opportunè præcludetur. Pollicebitur tamen ille, se extra indeclinabilem necessitatem, non nisi pœnitentis morte jam secta, Propinquis, vel Domesticis ejus graviditatem indicaturum.

9. Parochus ergo, ubi alicujus infirmæ certam, vel probabilem prægnationem rescriverit, illam ante obitum ipsum invisat, ejusque Consanguineos & Familiares hortetur, ut, eâ mortuâ, Partum *Cæsareum* adhiberi satagant; omnia interim docens ad felicem exitum exequendum necessaria. Deinde curet diligenter, Chirurgum opportunè accersiri, ut secum usque ad prægnantis mortem assistat. Si autem Chirurgus haberi non poterit, ejus vicem suppleat Barbitonfor, vel Obstetrix, qui si non sint Incisionis *Cæsareæ* periti, signabit eis Physicus, cùm tempus advenerit, partem corporis incidentam, vel ipse per se præstabit incisionem. In Diœcesi *Catanensi* ex edicto *Petri Galleti* Episcopi, [a] Parochis, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, onus incumbit curandi, ut omnino peritus advocetur; vel in ejus defectu quivis aliis, qui quoquo modo incisionem instituat. Porrò oportet, ut Barbitonfores, & eò fortius Obstetrics, aliquam de Partu *Cæsareo* faciendo scientiam à Medicis, vel Chirurgis addiscant,

experimenta, præsertim in quadrupedibus, putà mortuis canibus, porcisque, captantes: Nam in civitatibus populosis difficile quandoque est promptum reperire Chirurgum, cùm volueris. In oppidulis verò, ac pagis, persæpè stationarius Chirurgus desideratur. Obstetrices autem frequenter cum gravidis amicitiâ, interdum etiam sanguinis necessitudine sunt conjunctæ; atque ita in prægnationibus occultis illis assistere, ac tempore debito eas incidere finè arcanæ graviditatis revelatione valebunt. Adde, quòd commodius esset, incisionem Obstetrici committere: Etenim prægnans non solùm Chirurgi aspectum, sui veluti futuri carnificis, sed ipsum nomen exhorret. Quà propter cavendum est semper, ac præsertim dum illa sensibus utitur, ne in ejus conspectum veniat, vel cubiculum introëat; sed ut in alio vicino commoretur: At Obstetricis præsentia, morienti non erit æquè molesta, cùm ob alias etiam fines ad gravidarum, præsertim infirmarum, domum ventitare consueverit. Quòd si prægnans de futura cogitet sectione, minùs tamen dolebit, sciens, se à muliere, cui se ipsam fidere solita sit, non ab extraneo viro incidendam: Minùs quòque Maritus, & Consanguinei repugnarent. Uno verbo, ex omni parte res & in se ipsa decentior, & prægnanti ejusque necessariis acceptior esset, & Chirurgis ipsis propter honestatem optabilior. Quarè optimo

ma erit cautio, ut experientia me docuit, si novaculam Obstetrices apud se domi retineant, quam, necessitate urgente, illico habere præ manibus possint. [a]

10. Nihilominus, ubi circumstantiæ aliud non exposcant, operatio ut plurimùm Chirurgo, tamquam tutiori ministro, reservabitur. Quicumque verò sit ille qui fecet, Infantis Consanguinei, Hæredesque defunctæ ad mercedem retribuendam tenebuntur: Nec nisi perutile esset, si, quemadmodùm in *Sicilia* per Proto-medici constitutiones factum est, ii, ad quos ea jurisdictione pertinet, stipendum dilucidissimè taxarent, ut in morte gravidarum omnis altercationis occasio, vel incisionis retardandæ, aut etiam omittendæ periculum amoveatur. Cæterùm, peritus nequit rem tantam deserere, vel differre propter mercedis defectum, sive prædicti Hæredes atque Propinqui egeni sint, sive divites: In primo enim casu patet, ex innato charitatis onere ad officium suum sub lethalissima culpa obeundum tenéri; & multò magis, ubi jusjurandum præstiterit de adjuvandis pauperibus. In secundo verò, adstringeret eum gravissima ejusdem charitatis obligatio erga Puerum, in extrema tam spirituali, quam temporali necessitate constitutum, & nullo modo Consanguineorum avaritiæ participem; qui

[a] *In Archetypo ib. circa medium n. 9.*

cæteroquì poterunt ad mercedem exsolven-  
dam congruo tempore compelli. Imò verò ,  
cum Infantes hi omnium pauperrimi sint ,  
Chirurgus intereà ad eos extrahendos coge-  
tur ex ipsa indeclinabili obligatione succur-  
rendi pauperibus , etiam præciso juramento :  
Eðque fortius , ubi juramentum præcesserit.  
Quod autem magis notandum est , peccaret  
insuper , ubi operam suam sponte non offer-  
ret , quamvis non requisitus , tum divitibus ,  
tum egenis , etiam in solo dubio , an Fœtus  
adhuc vivat , uti apertè docet cum *Rainaudo*  
*Gobatus*: [a] Imò impium & detestabile  
scelus committeret , si decoris sui nimius ama-  
tor , & gravitatis affectator , ultrò se promp-  
tum non exhiberet ad servandam Infantuli  
animam ; quamvis hic filius esset acerrimi cu-  
juslibet infestissimique inimici , qui ipsius ope-  
ram implorare dignaretur ; vel quia repul-  
sam timeret ; vel quia obstinatâ superbiâ re-  
fugeret auxilium petere ab adversario : Hic  
enim , cum de æterna salute miserrimi Infan-  
tuli agatur , Christiana Charitas , & Divinæ  
Gloriæ zelus debent de omni prorsus obsta-  
culo triumphare. Si autem Chirurgus , vel  
alius gravidam incidere absque stipendio , vel  
ii , ad quos spectat , illud solvere obstinatè

G 3

[a] Theoph. Rainaud. *de Ort. Infant. c. 6.*  
*n. 22. & 23. Gobat. Append. ad Tract. 2. de*  
*Bapt. casu 8. §. Ita quidem , & §. Sed & aliis.*

recusent, certissimum est, tenēri Parochos ad erogandum de proprio, cùm nulla prorsus Eleēmosyna sit unquam magis p̄æcepta: Si enim hæc Pueri necesitas est p̄æ quibuscumque aliis extrema, & in extremis necessitatibus omnes ad subveniendum adiguntur, quantò magis animarum Curator? *Et quidem,* ait Roncaglia, [a] si in ulla re, in hac maxime diligentissimi esse deberent Parochi, cùm agatur de succurrendo Proximo in extrema spirituali necessitate laboranti: Adeoque nullis etiam parcere debent impensis; maximè, si parentes inopiā laborent. Profectò S. Paulus ad Corinthios dicit: [b] *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar.* Si tanta erat Apoītoli charitas erga ingratos, quanta esse debebit in Pastoribus erga hujusmodi Infantes? Id sanè p̄æclarè intelligebat Sebastianus Valfre, Taurinensis Oratorii Presbyter, cuius apotheosis causa discutitur: Mira enim solitudine, ad p̄ægnantes post fatum secandas, p̄æmaturè Chirurgos acciri satagebat: Nec solum Parochos, ut eorum expensis tantum misericordiæ opus urgerent, eique cum Administris maximè infudarent, hortabatur; sed & proprias ad hoc pecunias liberalissimè,

[a] Roncaglia in *Theol. Mor.* t. 2. tract. 17. de Bapt. c. 4. in *Reg. pro Praxi.*

[b] 2. Cor. 12. 15.

& libentissimè suppeditabat ; ita ut Deus plurimorum Infantulorum salutem ejus zelo concessisse visus sit. [a]

11. Quid autem , si agatur de extrahendo , ac baptizando Filio infidelium , putà *Mahometanorum* , & *Hebræorum* ? Debetne incidere mater , etiam patre recusante ? Debebit sanè in Regnis fidelium : Debebit quòque in Regnis infidelium , saltem si occultè fieri poterit : In extrema enim æternæ salutis necessitate , licitum est , ex communissimo Doctorum sensu , baptizare ubique filios infidelium , parentibus quantumvis invitis. [b]

12. In universum , in quocumque mortis genere , sive naturalis , sive violentæ ; sive infirmitas longa , sive brevis præcesserit ; sive mater suffocata fuerit manibus , vel aquis , aut veneno , vel etiam fulmine sublata ; numquam omittatur incisio . Vivebat adhuc , dum hæc scriberem , à matre veneno perempta Puer extractus . Supponere videtur *Viva* , [c] matre fulmine occisa , statim interire Fœtum : At contrarium ab experientia edocemur : *Anna* enim *Ribaldo Monteregalensis* utero gerens tertio nonas Septembbris 1743. fulmine percussa est , & illico extincta ; Puer autem post binas horas vivus educitus .


## G 4

[a] *Vita Venerab. Sebast. Valfre l. 2. c. 4.*

[b] *Clericat. de Bapt. Decis. 42.*

[c] *Viva in Propos. 4. & 5. damn. ab Alexan. VIII. n. 16.*

13. Demum, quid agendum est Parochio, si prægnatio ipsi post gravidæ sepulturam innotescat? Eam è sepulchro educi præcipiet. Ita se gessit celebris *Francisci Civille* Pater, qui cùm è longinquo, altera die ab Uxoris humatione, domum rediisset, *Franciscum Partu Cæsareo* liberavit. [a] Ita etiam nuper *Monteregali* se gessit *Albertus Carolinus*, Parochus animarum zelo clarissimus.



## C A P . U T I I .

*De præparandis ad Partum Cæsa-  
reum; deque comprobatione mortis  
Gravidarum.*

I. **A**dveniente mortis tempore, in moribundæ conclavi Obstetrix cum duabus tantùm, vel ad summum tribus fœminis prægnanti familiaribus consistet; alias arcebit Parochus, ne multitudo confusionem pariat. Ipse indefessus ad fatale æternitatis vandum assidebit hortator, atque solator. Cæteri, præsertim Chirurgus cum Propinquis, in vicino cubiculo Rosarium, aliasve preces pro moriente ejusque Fœtu recitantes, com-

[a] Bruhier. *de incerto Sign. mort. t. I. c. I. §. 10. fol. 227.*

morabuntur. Mulieres præparabunt vitream ampullam aquâ plenam pro Baptismo, quam convenit esse tepidam, ne Infantis teneritudini noceat. Item, ubi commodè habêri possint, spiritum vini, vel aquam Reginæ *Hungariæ*, vel vinum calefactum; ac tantillum lanæ, vel lini, & candelam ceream accensam. Si Chirurgus, aut alius operationem peracturus abest, expedit etiam ignem accendere: Eo enim casu curandum est maximè, ut, prægnante mortua, lineis pannis ad ignem calefactis uteri calor foveatur, usque dum Chirurgus accurrat. Alii monent, etiam parandam fistulam, seu tubulum arundineum, utroque nodo resecto, ad finem, de quo infrà.

2. Verùm hìc oportet scire, quòd sæpe gravidæ, dum extremum agunt spiritum, pariant propter naturæ convulsiones; Infante autem exorto, illico expirent. Cùm *Sambucæ* in Diœcesi *Agrigentina* 13. Novembris 1746. quinto gestationis mense, dissecta post mortem fuisset *Alberta Cacioppa*, uterus repertus est vacuus: Quæ res ob prægnationis certitudinem magnæ admirationi adstantibus fuit. Verùm deinde Fœtus inventus est sub lecti stragulis, de se quidem natus, at ex indiciis paulò antè defunctus. Idem accidit *Montevagi* ejusdem Diœcesis oppido, sub Parochio *Periconio*. Verisimillimum est, Infantes hosce propriæ nativitati fuisse cooperatos, ideoque vita comite ortos; deinde tamen ope-

rimentis oppressos. Quàpropter , antequam ad Matrem incidendam procedat Chirurgus, inquirat semper, utrùm fortè Parvulus in ultimo illius vitæ anhelitu foras eruperit. Imò cura erit Obstetricis, vel alterius fœminæ, interdum postremi agonis tempore dexterè per lectum investigare, utrùm prodierit Infans: Quem si negligimus, poterit facillimè suffocari. Nec muneri suo deerit Obstetrix, si fortè ille in ipso exitu aliquo indigeat adjutorio, quod ipsa opportunè conferre posse videatur.

3. Synodus Colonensis Anno 1528., & Cameracensis Anno 1550., & Mercatus, [a] jubent mortuæ prægnantis ori statim & ante sectionem, immitti fistulam arundinem, de qua suprà. In Edicto Agrigentino eadem probatur fistula, ut aér nitidior in maternum corpus admittatur, & viscera effluvia cadaverica exhalent, quæ tenuem in Pueri vitæ flammulam, Chirurgo scilicet moram faciente, restinguere possent. Guillelmeaus, Carolus Stephanus, & Schenchius Mercati doctrinam secuti præcipiunt, non solùm ut os gravidæ, sed etiam ut simili modo patula uteri vagina servetur. Hæc sanè ultima de vagina monitio valde salutaris erit, ubi, absente Chirurgo, & naturali partu jam instante, uterus esset apertus.

[a] Ludovic. Mercat. *de Mulier. affect. c.*  
3. *in fine.*

4. Quod verò ad tempus partūs *Cæsarei* adoriendi; *Si Mulier prægnans*, inquit Rituale Romanum, *morta fuerit*, *Fœtus quāmprimum cautè extrahatur*. Ex quo liquet, ad hujusmodi sectionem expectandum esse, ut grāvida ex se ipsa priùs occumbat. Sed heu! plures inveni Parochos falsò putantes, incisionem faciendam, antequam illa ultimum vitæ spiritum reddat. Oportet ergo, me alta voce hīc exclamare, ne tantum flagitium perpetrare audeant: Ea enim barbara carnificinā & graviter peccarent, & irregularitatem incurrerent. Dissimilis est casus, ut infrā ostendemus, ubi, desperato naturali partu, incisio ad Matris non minùs, quām Fœtūs liberationem dirigeretur.

5. Mortua autem prægnante, quantocitiùs Partus *Cæsareus* faciendus est: Nam ubi illa è vivis excedit, Infantulus non raro cum morte confligit, saltem in gravi periculo versatur citò moriendi. Primò, quia ob teneritudinem facilè genitricis morbum contrahere potuit. Secundò, quia solitæ carceris molestiæ adduntur fœtor, & noxii vapores materni cadaveris. Tertiò, quia in eo statu, ipsi jam incommodo, arctus jactitat, & omni vi sese extricare & egredi conatur; quod illum fatigat. Quartò, quia, etsi fortè Matris respiratione non vivat, attamen, hāc deficiente, aëris subfrigidi ac nitidi in maternum corpus ingressio prohibetur, & consequens indē

refrigeratio Filiolo adimitur. Quintò, quia minuitur ipsi alimentum. Indè est, quod *Possennus*, & *Rainaudus* dixerunt, Fœtus non supervivere Matris fato, nisi unius horæ spatio, aliquando tamen horæ dimidio, quandoque etiam breviori tempore; quamquam, ut infrà demonstrabimus, interdum longè diutiùs vivant.

6. At hīc vitandus erit scopulus: Poterit enim gravida vidēri mortua, quamvis vivat adhuc. *Palmæ*, decimo anno ante Parochi Officium à me suscepsum, pia mulier, *Vizzinia* dicta, sponte institit, ut sibi, statim ac moreretur, Partus *Cæsareus* fieret. Verūm, cùm ante comprobationem ejus mortis Chirurgus eam incidere sit aggressus, ex illius oris contorsione, dentiumque stridore cognovit, eam nondum expirasse. Idem contigit *Pauco*, & *Meryo*, in Arte Chirurgica insignibus.

7. Ut ergo similia damna evitentur, disquirendum semper erit, utrūm Gravida reverà decesserit. Tribus autem causarum generibus mors tribui valet, morbis scilicet chronicis, acutis, ac repentinis.

In morbis chronicis, observanda sunt signa mortis antecedentia, comitantia, ac subsequentia. Si ægrotus persolitos morbi gradus ad extremum agonem, similemve statum pervenerit, ac deinde prorsus quiescere visus est cum signis regularibus, quæ mortem comitari solent, ac sine pulsu, respiratione, aliove motu ac sensu re-

mansit, credendus est mortuus: Pristina enim circulatio sanguinis cessavit, & amplius redintegrari nequibit: Mobile namque, scilicet sanguis, paulatim in his morbis corruptitur; viæ, per quas moveri solet, notabiliter alterantur; movens denique ipsum, nimirum spiritus animales, omnino tandem extinguitur.

8. Idem dicendum de morientibus ex morbis acutis, & gradatim procedentibus; quamquam propter varia mali symptomata naturæque motus, in iis majori sit opus cautela, quam in chronicis. Indicia verò mortem antecedentia, & comitantia in utrisque habemus ex *Verulamio*: [a] „ Duo sunt, ait, magni „ præcursorum mortis; alter à capite, alter à „ corde missus. Nam etiam singultus ille le- „ thalis est genus quoddam convulsionis. La- „ bor autem pulsus lethalis habet velocitatem „ insignem, quandoquidem cor sub ipsa morte „ ita trepidat, ut systole, & diastole ferè con- „ fundantur. Habet etiam conjunctam debilita- „ tem, & humilitatem, & sæpius intermissionem „ magnam, labescente motu cordis, nec for- „ titer, aut constanter surgere valente. Præ- „ cedunt etiam mortem in propinquuo, summa „ inquietudo & jactatio, motus manuum „ tamquam floccos colligendo, nifus fortiter „ prehendendi ac detinendi; dentes etiam

[a] Franc. Bacon. à Verulam. *Histor. vit.*  
*& mor. in Atriol. mort. n. 29. 30. & 31.*

,, fortiter comprimere , glutire vocem , tre-  
,, mor labii inferioris , pallor oris , memoria  
,, confusa , sermonis privatio , sudores frigidi,  
,, corporis elongatio , sublatio albuginis ocu-  
,, lorum , faciei totius alteratio , nasu acuto ,  
,, oculis concavis , genis labantibus , linguæ  
,, contractio , & convolutio , frigus extremi-  
,, tatum , in aliquibus emissio sanguinis , cla-  
,, mor acutus , maxillæ inferioris lapsus . ,  
His addi possunt visûs , auditûs , aliorumque  
sensuum amissio , spiritibus animalibus eclipsi-  
sim patientibus , & fuligo in naribus.

9. Ubi ergo post hæc signa , aut saltem pleraque , ut evenire solet , videbimus ultimum spiritum exhalare ægrotos , una , vel altera lacrymâ ex oculis , vel spumâ ex ore profluente ; quæ signa sunt comitantia : Statimque finè pulsu , finè respiratione , ac finè omni motu & sensu illos conquiescere ; quæ maxima sunt signa sequentia ; pro morte pronunciandum est. Verùm , ut cutiùs procedamus , observandum diligentius , utrùm verè pulsus omnis , respiratio , sensusque cessaverit. Igitur quod ad primum , in utroque carpo exploretur : Fortasse tamen vibratio , quæ in recto , vel declinato carpo delitescit , sese prodet in eodem leniter incurvato. Quandoque illam sentiemus inter pollicem , & os metacarpii , dummodò non validè arteria prematur. Cavendum interim , ne arteriolarum in nostris digitis motum , arteriis defunctorum

attribuamus. Investigandæ etiam arteriæ axillares, temporales, atque carotides, utpote ampliores, ac recto impetu motæ; pressione tamen profundiore. Tentandum est quòdque cor ipsum tum à latere sinistro, tum dextero: Nam à dextero in quibusdam pulsare deprehensum est: Corpus tamen in alterutrum latus declinare oportet; ubi enim supinum statuitur, languidus ejus motus percipi non potest.

Investiganda est porrò respiratio. Plerique filum, seu flocculum lini, goffypii, aut lanæ tenuissimè carminatæ naribus, oriique suspensum adhibent, vel flammulam cereæ candæ, ut videant, an ad aliquam respirationis auram deflectant, ac tremula fiant; vel speculum limpidissimum, anteà bene abstersum; vel conspicillum naribus & ori admovent: Maculantur enim in viventibus. Alii, ciathum aquâ plenum, cartilagini ensiformi inter pecus, & umbilicum collocant: Diaphragmatis namque motus, si quis fortè reliquus erit, costis spuriis communicatus, aquam quoquonodo versabit. [a] *Winslovius* ait, consulius fore, si corpus in alterutrum latus convertatur, ita ut extrema costæ antipenultimæ cartilago supremum situm obtineat, eique ciathus imponatur.

10. At hæc experimenta non semper fide-

[a] *Lancif. de Mort. subit. l. 2. c. 13. & 16., aliisque passim.*

lia in mortis certitudine detegenda inveniuntur: Quandoque enim respiratio ita lenis est, ut nulla certè ratione innotescat. Quandoque etiam vapores, ex veris cadaveribus emanantes, specula commaculant; humores etiam, in mortuorum abdomen descendentes, fallaci motu decipiunt.

Ut igitur firmius evadat judicium, alia hīc indicia prædictis addenda, & explicanda sunt, quorum pleraque tutiora existimantur. Præcipuum ac tutissimum esset, putrefactio, saltem partialis, vel ipsius initium; nimirum fœtor cadavericus, qui saltem aperto ore sentiatur, è visceribus corrumpi incipientibus ascendens. Livor item, vel maculæ lividæ, aut nigredo in corpore, ac ejusdem extumescentia. Cæterū, cum putrefactio aliquando moram faciat, Partus autem *Cæsareus* celeritatem postulet, cætera signa tum ab aliis, tum à *Lovisio* in opere de certitudine signorum mortis allata, investiganda sunt.

Primum est, faciei immutatio. In morte apparente, faciei forma consistit; in vera, labefactatur, & colorem pallidum, plumbeum, vel croceum induit. Si diuturnæ ægritudini syncope superveniat, squallor erit cadavericus; at membra non erunt inflexibilia. Quod si talia evaderent, necesse erit juxta mox tradendam regulam, disquirere, utrum inflexibilitas cadaverica sit, an convulsiva.

Secundum est, corporis pondus nimium evanescere

evanescentibus spiritibus, qui prius illud mobilis, leviusque reddebant.

Tertium, licet non omnino necessarium, est frigiditas cadaveris, quae tanta ex *Feifoo* sit, ut illam rami, ab arboris trunco recenter excisi, & in eodem aere, quo mortuus jacet, collocati, exactissimè indagatam cœquet. [a]

II. Quartum, profectò validissimum, est membrorum rigiditas, & inflexibilitas, etiam ante calorem deperditum; ita ut, nisi defunctus quamprimum mortuariis vestibus de more induatur, ejusque oculi ab adstantibus claudantur, haec omnia deinde non facilè peragi queant. Quoniam verò datur syncope convulsiva, quae membrorum etiam inflexibilitatem præ se fert; sciendum est, ipsam tunc pro signo mortis haberi, cum mortem subsequitur: Si enim cum putata morte pari passu venerit, symptomata erit convulsivum. Convulsio autem, est involuntaria, ac permanens contra naturam contractio: Unde in statu convulsivo, si v. g. anteriora brachii sunt laxa, musculi bicipites duritie laborant, quæ non observabitur in antagonistis. At in casu veræ mortis, musculi, qui ad contrarias actiones à natura destinantur, in statu consimili perseverant, nullumque argumentum elucet, eorum alterutrum in statu violento reperiri.

## H

[a] *Feif. Theat. Crit. t. 5. disc. 6. §. 8.*  
n. 27.

Planiūs & clariūs: Ubi rigiditas, & inflexibilitas ex convulsione orta sit, impossibile, vel pene impossibile erit, membrum cogere ad motum contrarium illi, ad quem fuit ab actione muscularum convulsiva determinatum: quod si fortè compelleretur, nihilo minus deindè sibi relictum ad locum pristinum magna vi, subitòque rediret. Contrarium accidit in cadaveribus: Coacta enim articulatione, membrum ad hunc, vel illum motum, quamquam inter se contrarios, more corporum inanimatorum, ostendet indifferentiam. Hoc præsertim in maxilla inferiori observabitur: Si enim hæc in mortuis à superiori dividatur, sejuncta, & in eodem loci puncto, in quo posita fuerit, remanebit. Quod si deinde ad naturalem situm appropinquet, id paulatim faciet, aliqua semper intercapdine inter se, ac superioremaxillam relictam. Si verò, quæ mortua creditur, passione tantum hysterica, vel aliquo convulsivo morbo detinetur, inferior maxilla à superiori non nisi illata vi disjungetur: Attamen, si postea dimittatur, sui juris facta iterum celerrimè ad superiorem accedet. [a]

Porrò, ubi corporis pondus adest, maximè cum frigiditate conjunctum, & membrorum rigiditas; patet, non solùm sanguinis circu-

[a] Verdier. & Caumont. Ap. Bruhier. in præf. Oper. de incert. Sign. Mort. Lovis. de cert. Sign. Mort. epist. 4.

lationem omnino cessasse, sed motum ipsum intestinum; ac proinde circulationem prædic tam amplius redintegrari non posse. Verum rigiditas, ac frigiditas non sufficit, ubi malum ex frigore processit: Oportet eo casu hominem in simo deponere, aliisque præsidiis adjuvare; mox enim clarescet, utrum de eo sperandum, an desperandum sit.

12, Quintum, & præ cæteris vehementissimum signum, est pannus vitro similis, qui in ipso mortis agone incipit efformari, & in mortuo super oculorum corneam brevi cōalescit, ita ut frequenter pupillam ipsam occultet. Istenuissimus est, & in plures partes discinditur, si cornea, de qua exsudat, abstergatur; & ob illum defunctorum oculi nativum colorem, ac splendorem amittunt: Quo fit, ut imaginem eorum, qui in illos aspiciunt, amplius non repræsentent, ut in vivis, quorum oculi pro speculo sunt. Signum tamen hoc fallere tantum posset in certis palpebrarum morbis; verum in istis, ut & in aliis, ubi mors intercesserit, oculi passi ac flaccidi evadunt; quod nunquam in aliqua ægritudine circumstantia, sed tantum in vera morte observatur: Unde id semper juxta Lovisium [a] extinctæ jam vitæ signum reputandum est characteristicum, & infallibile. Cæterum, ubi solita perspicimus mortis indicia, non necesse

erit, pannum vitreum esse perfectum, sed sufficit, formari jam cœptum.

Denique, ad uberiorem cautelam, flammarum candelæ nigribus defunctæ semper admovebimus, ut in adustione dignoscamus, an aliquem sensum ostendat.

13. Major est difficultas comprobandæ mortis ex causa repentina: ( mors autem præsumitur ex repentino malo provenisse, ubi chronicus ipse morbus, vel acutus, non usque ad agonem, similemve statum morti proximum procefferat; unde infirmi extinctio non adeò imminens timéri poterat ) In ea enim sæpe desunt signa antecedentia, & non raro etiam comitantia; quæ propter sola inserviunt, quæ mortem sequi solent. In his ergo casibus, maxima circumspectione incedere oportebit. Et sanè omnino semper & sinè limitatione, mora aliqua, prudentiū arbitrio, & pro variatione circumstantiarum, ex *Lancisid* [a] erit necessaria.

In hystericis, aliisque similibus, plerique tradunt expectandum esse, ut 72. horæ præterlabantur, si certa mortis signa non appa- reant; ac multò magis, ubi signa extent æqui- voca vitæ. Si tamen naturalia signa jam ex- istentis mortis, videlicet corporis pondus membrorum rigiditas & inflexibilitas adsin- cum panno super corneam extenso, de morte non est dubitandum.

14. Quòd si membra sunt flexibilia, nec oculi deformati, hæc vel ideò accident, quia, qui mortuus creditur, vivit adhuc; vel quia mors nondum mala illa peperit, quæ gignere consuēvit. Cùm autem nesciamus, quænam ex his vera sit causa, omnino supercedendum est, & interim omnia tentanda sunt remedia, quibus homo, si fortè vivus, ad vitæ munia revocetur.

15. Intentio autem curationis in similibus erit, spiritus oppressos & consopitos exsuscitare, motum liquidis restituere, solida ad pristinam functionem liquida propellendi redintegrare. Ad primum, conducunt vel maximè spirituosa: Ad secundum, discöagulantia, & sanguinis emissio: Ad tertium, cujuscumque generis motiones.

Porrò, ut spiritus languentes exsuscitentur, sensus omnes percellendi sunt, oculi lumine, aures vocibus, mortuum putatum proprio nomine nunc voce leniori, nunc elatiori compellando, cantu etiam & sono pertentandæ. Nares acutioribus sternutatoriis, ac spiritu Salis Ammoniaci, vel Sale Ammoniaco volatili, aliisque similibus, maximè verò penicillo ipsis illito irritandæ: Os etiam, præsertim gingivæ, fæpiùs ejusdem falibus perfricandæ: Organæ tactûs, nimirùm plantæ pedum, volæ manus, & digitorum extremitates, stimulanda, atque pungenda. Demum, summo capiti, vel plantis pedum ferrum candens, vel per instru-

mentum ignitæ laminæ applicandæ; aliquo interim perito, pulsūs & cordis motum indagante: In vivis enim aliquem subsultum ille percipiet.

Ad motum liquidorum, in primis ( ubi competit phlebotomia, præsertim in apoplecticis, strangulatis laqueo, carbone, ac similibus, itemque submersis ) vena jugularis, vel respectivè manus aperienda est, ut sanguis, majori acquisito spatio, faciliùs circulare valeat per oppletum caput, sive pulmones. Vesicantia applicanda, vel potius lapis ad cauteria; nam ultra virtutem sanguinis dissolvendi, sunt *Prevotio* maximum experimentum ad vitæ dubium extricandum: In vivis enim tantùm, non autem in mortuis, pustulam excitabunt.

Demum ad solidorum motum succussiones, frictiones, verberationes plantarum, totiusque corporis, temperatæ tamen, dimotiones sunt adhibendæ: Et hæc sanè quasi externa remedia.

16. Calor autem, & principia elastica in corpus ipsum introducenda; proindè hoc, aëri frigido illico subductum, pannis calefactis, & copioso aromatico spiritu gravidatis foveatur: Vel contrà nive corpus obruemus, ut solidorum tonus intendatur, & internus calor torpescens ad adversarii frigoris præsentiam irritetur, & convalescat. Verùm, si submersum fuerat, vel frigore afflictum, ad ignem, moderatum tamen, admovebitur: Si verò hypocaustum necessarium judicemus, hoc aromaticis effluviis complebimus.

Ingerendus quòque maxima dosi, paulatim tamen, atque guttatum, per os in ventrem, si fieri potest, spiritus Ammoniaci Salis, aut similes. Inferiora etiam non deserenda. Competunt propterea clysteres acerrimi, Enemata, Fumus Nicotianæ, seu Tabacci per instrumentum à *Bartholino*, ac *Lovisio* [a] delineatum: Mirabilis enim est usus in submersis & aliis, ad motum peristalticum in intestinis, & consequenter sanguinis circulationem, & vitam instaurandam.

Nec, si prædicta optatum exitum non citò fortiantur, propterea desperandum est Medico. Curam strenuè prosequatur: Multoties enim non nisi post remedia per duas, tres, imò quatuor horas exercita, se vita manifestavit. [b]

17. Cæterùm, si post omnia tentamina, per longum temporis spatiū continuata, nihil omninò profectum est; qui jacet, vel verè jam è vivis excessit; vel saltem brevissimè indubitanter excedet: Quam ob rem citò etiam signa mortem consequentia apparebunt. Quamvis enim concedamus, dari posse casum, quo respiratio omnis, omnisque circulus in sanguine cæterisque liquidis conquiescat, & nihilominus infirmus vitam retineat,

H 4

[a] Lovis. loc. cit. in Exam. Rat de Subm.

[b] Feis. loc. cit. ep. 6. in Animad. Bruhier. de incert. Sign. Mort.

dum natura spem aliquam, ut ita dicamus, habeat, fore ut per intestinum saltem sanguinis motum respiratio, aut sanguinis circulatio redintegretur; hoc ipsum tamen doctrinæ traditæ nequaquam obstat: Nam homo in tali statu suspensionis non nisi brevi tempore manere poterit: Cessante enim circulatorio sanguinis motu, non diù durabit intestinus, festinaque mors & indeclinabilis irruet.

Interim verò, si, ut suprà monuimus, defunctæ prægnantis membra sunt adhuc flexibilia, & oculi antedicto panno vitreo non cōoperti, nec flaccidi, passi, aut dissoluti, numquam ad sectionem deveniendum erit, quamvis plures dies ab apparente morte defluxerint.

18. \* Restat, ut cuidam objectioni occurredamus. Clarissimus *Winslowius* Thesim Aprili Mense An. 1740. in Scholis Facultatis *Parisensis* defendit & edidit, in qua mortis signa non minùs incerta à chirurgicis, quām ab aliis experimentis perdocuit. Hanc Thesim ingenti apparatu *Brubierius* commentatus est in suo percelebri opere *de Incertitudine Signorum Mortis*, ibique plus quām ducenta sexaginta refert exempla de vivis, reputatis mortuis; imò etiam de sepultis, qui vitæ munia resumpserunt. Existimat propterea *Brubierius*, non dari certum, & indubitabile mortis signum, nisi solam putrefactionem, idē-

\* In Arch. c. 3.

que ante ipsam cadavera nec sepelienda , nec exenteranda , ut balsamis condiantur. **Ex Brubierii** ergo doctrina , tot exemplis confirmata , cui etiam favere videtur *Feifous* , possent nonnulli deducere , gravidas non esse incidendas , maximè propter hysterici mali suspicionem , nisi post corruptionem , quæ cùm per plures etiam dies tardare soleat , Fœtus interim necessariò periret , tum propter moram , tum propter ipsam Matris putredinem , quæ priùs Puerulum inficeret intùs , quām foris erumperet.

19. Verùm ad *Brubierii* Librum varia nonnulli respondent : Ac primò , plurima ejusdem exempla esse à primis narratoribus , præsertim gentilibus , ad suos Heröes celebrandos conficta ; nonnulla , ut ipse *Feifous* observavit , [b] esse suspecta , aut sàltem non authentica ; quædam etiam non obscurè comicam fabulam sapere , ab iisque vulgata , qui narrandorum portentorum pruritu lababant , qui morbus & viguit semper , semperque vigebit. Sanè , quod de *Joanne Duns Scoto* non pauci scripserunt , *Wadingus* commentitia ostendit. [b] Quid , quod alia sunt fortè duplicata , ut sit in similibus ? Nimirùm unoquoque ex narratoribus se vidisse testante , quæ aliis locis , atque temporibus ab aliis visa sunt.

[a] *Feifous loc. cit. §. 1. n. 11.* & 14.

[b] *Wading. in vita Scoti , quem Feifous , & alii sequuntur.*

Quàm facile autem hujusmodi narratiunculæ originem suam ducere possunt à vulgi rumore, mulierculis præsertim disseminantibus, ex aliquo dubio signo in cadaveribus animadverso, putà ex sudore à fronte, vel toto corpore dimanante; ex calore diù conservato; ex facie vivida, & rubicunda; ex capillis, unguibus, aut barbæ pilis crescentibus; ex fortuito motu cadaveris, vel saltetem ejus capitis non bene collocati, & firmati, muribus præsertim dimoventibus; vel denique ex nimis incensa, & versatili adstantium Phantasia!

His verò non obstantibus, non negabo, magnam *Brubierii* exemplorum partem me veram reputare: Nam & in *Sicilia* interdum similia contigisse, non dubia fama vulgavit.

20. Cæterùm hæc, aliaque hujus generis facta ut plurimùm ad casus repentinorum, ac mala subitanea pertinent, putà Syncopen, apoplexiā, submersionem, &c.: Nos verò suprà monuimus, in his diligentissimo examine investigandum, utrum revera prægnans mortua sit, nec eam incidendam, nisi postquam signa mortis characteristica illuxerint. Quod si apparentes aliquæ mortes, à *Brubierio* narratæ, ex morbis periodicis processerant, regulariter, ut ex ipsa patet historia, in Nosocomiis, vel pestis, aut gravissimæ epidemiarum tempore secesserunt: Nemo tamen

est, qui nesciat, in hujusmodi circumstantiis omnia tumultuariè geri, ac propter festinationem in sepeliendis mortuis facillimè errari. Idemque de iis dicendum, qui in prælio ceciderant. Si qui verò in proprio lecto, & extra prædictas angustias visi sunt obiisse, ac posteà surrexerunt, id sanè tribuendum imprudentiæ, atque ignaviæ domesticorum: Cùm enim isti ægrorum nonnisì mortem exspectarent, ex aliquo ipsorum actu motuque, ac subsequente corporis totius externa quiete, primò, illos extremum spiritum exhalare; deinde, animâ jam destitutos esse, firma persuasione judicârunt, nihil aliud exinde curantes. Quà propter neque ipsorum arterias, neque cor exploravère, nec sedulò indagavère, utrùm tenui saltem respiratione uterentur. Uno verbo, nullam industriam, quam potuissent, ad mortis veritatem per solita signa & experimenta inquirendam consultâre; atque ea fuit perniciosissimi erroris occasio.

21. Contrà verò apertissimè observari poterit in pluribus exemplis, ab ipso *Brubierio* relatis, ægrotos, qui deinde restituti sunt, quàmquam primo intuitu spiritum emisisse viderentur, habuisse tamen quædam sive certa, sive dubia saltem vitæ signa, ob quæ non solum eorum sepulura ad plures dies dilata fuerat; sed omni ope & Medici, & Domestici eos ad vitam revocare nixi erant; quod

tandem felicissimè obtinuere. Alii profectò , naturalem calorem conservabant ; alii , membrorum flexibilitatem , vel tenuem respirationem , aut pulsum ; nonnulli etiam medicamenta deglutiebant ; alii denique , dormientibus similes potius , quàm mortuis cernebantur.

22. Indè factum est , ut *Brubierii* librum , quamquàm cæteroquin ob publici boni studium , ac eruditionem valdè laudandum , impugnaverint Viri egregii , Abbas *De la Fontaine* , atque *Lovisius* , ostendentes , non opus esse corruptione , ut mortem indubitanter agnoscamus. *Lovisius* quidem docet , decolorationem ac flacciditatem oculorum , panno vitreo adnascente , maximè rigiditati & inflexibilitati membrorum , modo suprà explicato , conjunctam , esse mortis characteristicum ac tutissimum signum. Profectò , nullum à *Brubierio* exhibetur factum , in quo hæc oculorum deformatio aliquando deceperit. Verùm , præscindendo etiam à quæstione inter *Brubierium* , & *Lovisium* agitata , utrùm præter putrefactionem dentur signa mortis indubitata : Imò dato etiam , & non concessò , antedictam oculorum deformatiō nem esse notam per se fallibilem ; adhuc fidenter dicam , omnes eos , qui cuncta mortis signa præ se ferunt , nullum verò , quamvis æquivocum , vitæ , si omnia facta sunt à peritis tentamina per competentem tempo-

ris moram, ut ad vitæ officia redeant, & nihilominus in eodem statu permanent, certissimè defunctos esse: Quamvis enim aliquando, etsi raro, hoc, vel illud signum singulariter consideratum se fellerit; ac similiter hoc, vel illud remedium ad suscitandum, qui mortuus videbatur, non sufficerit, quod tantummodo ex allatis à se exemplis ad summum contendere posset *Brubierius*: Attamen neque apud ipsum, neque apud alios, reperiri queunt casus, ubi, tota signorum mortis collectione suffragante, sine ullo vitæ saltem dubiæ indicio; omnibus item remediis ad excitandum decumbentem serio per congruum temporis spatium adhibitis, Medico præfertim observante, & pro morte decidente, sit unquam erratum. Nam quo pacto falsa poterit esse mors tot naturalibus notis contestata? Quomodo autem vera vita, quæ nullo prorsus, nequidem æquivoco signo se indicaret? Quibus tandem abdita, & retrusa penetralibus illa delitesceret? Cæterum, quamquam his non obstantibus, arbitraretur aliquis, mortem sine putrefactione non esse physicè indubitatem, nemo tamen negare poterit, eam saltem summum in hypothesi certitudinis moralis gradum attingere, tantoque clariorem ex ipsis *Feifoi* principiis futuram, quantò plura erunt indicia comprobantia. [a]

23. Si autem cum hac morali saltem cer-

[a] Feifous loc. cit. §. 8. n. 31.

titudine mortuos incidere, vel sepelire non liceret, atque ad putrefactionem expectandam cogeremur; ut alia omittam, quomodo unquam ad anatomicas sectiones, Medicinæ, atque ideo saluti hominum tam necessarias, devenire fas esset? Cadavere enim corrupto, neque Chirurgus, intolerabili fœtore prohibitus, posset incidere, neque incisio intentum obtineret; corporis nimirum vasis à putredine ipsa jam destructis, liquoribusque confusis: Quodque deterius est, (ut ipse *Feifous* [a] ingenuè fatetur) humationis retardatio periculosa esset viventibus: Nam ex ea & morbi, & lethales epidemiæ, & pestilentiae in humani generis perniciem orirentur.

24. Quod si generaliter ex prædictis ad judicium de morte ferendum, non expectanda putrefactio est; in negotio, de quo agitur, eamdem prævenire prorsus oportet; cùm Infantulo, de vita non minùs æterna, quàm temporali periclitanti, succurrendum sit, cui tantum mora sinè ullo dubio fatalis esset futura. Quàpropter, etsi supponeremus, non obstantibus quibuscumque mortis indiciis, evenire posse, ut aliqua prægnans viva dissecaretur, nihilominùs, eo periculo neglecto, sub gravissimi criminis reatu ad Partum *Cæsareum* efficiendum omnino teneremur: Cùm enim periculum illud esset remotissimum, non debet Chirurgos à sectione absterrere, vel eos

tardiores reddere, quām par est; ac multò minùs Sacerdotes, quasi irregularitate irretiendos, ubi gravida fortè vivens secaretur. Nam, si putabat *Heisterus*, [a] vix è centum milibus, quos prudens, vel etiam mediocre vulgus mortuos credidit, unum inventum esse, qui verè vivus extiterit; quid ille diceret, si in usum superiùs expositæ cautelæ ac experimenta venirent?

25. Illud tandem summoperè animadver-  
tendum est, *Brubierii* Librum nihil aliud  
intendere, quām sepelitiones & balsamatio-  
nes, in quarum dilatione, ut ipse putat, ni-  
hil esset incommodi; vel ad sumnum alias  
non necessarias cæsuras ante putrefactionem  
esse vetandas; & nihilominùs id ipsum *Gal-  
lis Popularibus suis nequaquām persuadēre*  
potuisse: Non tamen docuit, Partum *Cæsa-  
reum*, ad salvandos Pueros prorsus necessa-  
rium, tanto tempore differendum: Hoc enim  
idem esset ac illum absolutè damnare. Con-  
trà verò, eundem valdè commendat, effica-  
citer probans, non-natum Filiolum extinctæ  
jam Matri posse in utero supervivere; pluri-  
busque rationibus & exemplis firmat, nefas  
esse Pueri extractionem omittere.

26. Ad hæc *Brubierius* tres non exigui  
certè momenti errores meritò reprehendit. [b]

[a] *Heister. Chirurg. t. 2. sect. 5. c. 113.*

[b] *Bruhier. de incert. sign. mortis t. 1. c.*

**I. §. 6. observ. 2. fol. 146. & §. 13. fol. 313.**  
**& tom. 2. c. 1. fol. 77. & seq.**


Primus eorum est, qui, charitate frigescente, domesticos suos ægros, extrema Unctione jam expiatos, non amplius medicaminibus juvant; imò, quod olim interdum observavi, nec alimento resiciunt, sed prorsus relinquunt, veluti victimas indeclinabili morti devotas: Etenim, si ex illis ipsis, qui falsò mortui crediti sunt, non pauci ad se redierunt, quænam erit, amabo te, vecordia, atque stultitia, indubie adhuc viventes ita deferere?

Secundus aliorum est, qui hominem, simul ac expirasse putatur, arcæ mortuariæ includunt: Ita enim, si fortè ille syncope opprimitur, aëris recentioris ingressu prohibito, necessariò suffocabitur; aut saltem, si deinde vitæ aliqua indicia præbeat, ab adstantibus ea percipi nequibunt.

Sed irrisione certè non minùs, quàm execratione dignus est tertius. Nosocomiorum leges vetant, ne defuncti, dum calorem adhuc retinent, sepulturæ mandentur, propter suspicionem scilicet vitæ latentis. At quid excoitarunt egregii quidam Nosocomiorum Praefecti? Cùm calor ille diligentissimè fovéri potiùs deberet, quàm data opera extingui, utpote qui aliquoties vitam denuò accendisse perhibetur, marmoream tabulam statuere, ubi mortui deponantur, quo usque omnino frigescant: Atque præclara ista legis interpretatione certissimè occidendo (si qui fortè sunt)

funt) vivos, reverà carent clientulis suis, ne calidi, imò etiam ne vivi unquam sepeliantur. [a]

Alia etiam utilissima in hoc genere admonet *Brubierius*, quorum sanè plurima pro majori cautela in praxim deduci expediret, ac præsertim in mortibus repentinis nequaquam omitti. Ea quidem, ab instituto nostro aliena, præterimus: At Parochus in laudato Auctore legere non deditur, &, quoad fieri poterit, in Parœcia servari curabit. [b]



## C A P U T I I I . \*

### *Praxis Partūs Cæsarei Defunctorum.*

1. **J**am verò Gravidæ morte satis explora-  
ta, sectio sequenti modo instituenda  
est. Duæ ex adstantibus fœminis illicè  
eam convenientiori situ supinam supra mensam,  
vel ipsum lectum collocabunt, eamque ma-

I

[a] *Idem t. I. c. I. §. 12. fol. 292. & §. 13.  
fol. 312. & 322. & c. 2. §. 3. tom. 2. fol.  
26. & seq. & c. 5. §. 3. fol. 526. & 544. &  
in memoria fol. 513. & in Idea constit. faci-  
endæ fol. 577.*

[b] *Idem t. I. in memor. fol. 547. & in Idea  
constit. faciendæ fol. 576.*

\* *In Arch. c. 4.*

nibus firmiter , ne commoveatur , detinentes , commoditatem Chirurgo præbebunt , ut munus suum exequatur. Incisionem is præstabit non ad modum crucis , at linea longitudinali , ut , si fortè Prægnans non sit mortua , ac sensum , adeòque vitam ostendat , faciliùs sanari valeat. Antequàm sectionem aggrediatur Chirurgus , manu tentans diligenter inquirat , ubi sit Fœtus , & utrùm proximus peripheriæ , seu parti extimæ ventris inferioris ; tum ut sciat prudenter se gerere circa majorem , vel minorēm vulneris profunditatem ; tum propter alia , prope hujus Capitis finem exponenda. Utitur autem scalpro chirurgico recurvo , dicto *Gambaut* , vel cultro , vel novaculâ , incipiens à parte , quæ substata cartilagini ensiformi , id est , paulò supra umbilicum , sed parumper à latere , ut umbilicus ipse , quia sectu difficilis , evitetur ; descendetque inferiùs usque ad superiorem partem pubis , cæsurâ sufficienti ad discindendum non solùm pellem , verùm etiam musculos rectos , qui subtus latent , videlicet carnem. Pellis nomine , intelliguntur tegumenta , à Medicis appellata *communia* ; nimirùm cuticula , corpus reticulare , cutis , & membrana adiposa , seu cellulosa , sub quibus existunt musculi recti , seu caro prædicta. Hæc omnia simul juncta profunditatem constituunt unius digiti cum dimidio : Tegumenta namque simul unita , ut plurimùm paria sunt latodorsò cultri ; musculi vero , uni digito circiter ; quamvis non

semper eamdem servent mensuram , sed pro diversa magnitudine , ac pinguedine corporis , uni , vel pluribus digitis interdum adæquentur . Exigit verò prudentia , ut Chirurgus , crassitatem semper supponens esse minorem , in incidendo cautissimè se contineat .

2. Discisis tegumentis ac musculis , in conspectum se dabit magna abdominis membrana , dicta *Peritonæum* , quæ ex duabus aliis membranis coälescit , ut plurimum crassitatem habens veli firmioris , quo passim utimur ad cribrandum . Chirurgus illam leniter incidit , ( nam tenuis est ) & digitum aliquem sinistræ manūs introducit , ut eodem instrumento , vel etiam forbicibus *Peritonæi* cæsum dilatare commodiùs possit . His peractis , & intestinis manu à parte dissecanda tantisper amotis , apparet uterus . Ejus situs est medius inter vesicam urinariam , & rectum intestinum ; sed in gravidis magnitudine auctus distenditur , comprimitque vesicam : Quare ad illum inveniendum non opus est eam discindere . Quod si prægnatio non multùm processerit , cura erit periti , vesicam pro utero non accipere ; sed hunc in antedicto situ invenire , & ad ipsius incisionem deinde pergere . Si autem sectioni matricis vesica urinâ tumens , obstaret , aprienda primùm hæc esset , ut , urinâ disfluente , subsidat , & impedimentum evanescat . Uterus nunc majori , nunc minori est longitudine ac latitudine , pro graviditate magis , aut minus

antiqua ipsum distendente, & pro numero & magnitudine Fœtuum in eo contentorum. *Mauriceaus* advertit, [a] ipsum esse tenuem, ac in fine prægnationis, nunquam excedere crassitatem dorsi, quod est in cultro, sive monetae argenteæ, quam *Piastra* vulgariter appellamus. Contrarium alii scribunt. Ut-ut sit, leviter, nec totus unico instrumenti ictu est incidendus, ne fortè vulneretur Infantulus. Itaque hic se offert secundinis circumvestitum, quæ facile dignoscuntur (videntur enim ex confusa venarum suarum multitudine sanguinem veluti emittere) & vel manu ipsa lacerantur; vel, si duriusculæ, scalpro, vel forbicibus, aut alia ratione scinduntur. Non desunt quidem Chirurgi, qui, postquam manu tractantes, ubi sit Fœtus, invenerint, longitudinali lineæ, in *Cæsareo* Partu faciendo, latitudinalem præferant: *Mauriceaus* tamen primam suadet, utpote commodiorem: In ea enim non nisi musculi recti, seu tendinosæ illorum extremitates inciduntur; in altera verò, seu laterali, perfecari debet intima caro obliquorum, & transversalium muscularum, quorum cùm unus alio sit superstratus, crassitatem habent valde notabilem, atque inde cruor, qui majori copiâ exundat, impedimento erit, quo minùs Chirurgus distinctè, ut oportet, quid agat, inspiciat.

3. Nihil hic dicendum est de *Omento*, id est, reticula: Ea enim quamquam sub *Peritonæo*, ut plurimum tamen in superiori parte abdominis latet, nec ad inferiorem usque, nisi raro casu, protenditur: [a] Quocircà opponere se non solet, cum uterus est secundus: Incidenda tamen & ipsa, ubi fortassis occurreret.

4. Infante igitur, secundinis jam dilaceratis, detecto, si Chirurgus morti proximum reperit, non illum extrahit; sed in ipso ventre adhuc existentem curat illicè baptizari. At, si vivacem agnoscit, resecto funiculo umbilicali, ab utero tollit, & Parocho præsentat. Puerum baptizandum una ex mulieribus in eo situ detinet, quo ab aqua Baptismatis ejus respiratio turbari nequeat, scilicet pronum, alterâ interim aquæ ampullam porrigente. Sacramento statim collato, Chirurgus funiculum ligat umbilicalem in distantia duorum digitorum ab umbilico, eumdemque funiculum ad dimidium digitii supra ligaturam ipsam denuò recidit, ac diligentissimè os Parvuli aperit, nasumque detergit, ut respiratione utatur faciliori; eo interea prope ignem sustentato. Indè ipsum refovet, ori ejus & naribus vinum, vel aquam vitæ, similemve liquorem admovendo; tum calefacit halitu suo, vel simplici, vel etiam vino, aut spiritu.

vini ore detentis roborato , illiusque faciem vino calido lavat : Demum Obstetrici , vel alteri expertæ mulieri tradit , mandans , eum pannis calefactis involvi , & antedictis auxiliis confortari .

5. Si verò de Infantulo jam extracto dubitetur , utrùm vivat , an mortuus fuerit ; manus capiti imponatur , ubi fontanella , seu fons pulsatilis reperitur , & arteriæ valdè micant ; vel sinistræ parti pectoris circa cor , vel temporibus , vel umbilico : Ac , si pulsatio percipitur , subitò , & absolutè baptizetur , utpote certè vivens : At , si non sentiatur pulsatio , & nec respirationem , nec motum , neque sensum ostendat , attamen desit putrefactio , aliaque indubitabilia mortis signa , ejus exanimatio certa non erit , sed ambigua . Itaque , ne temporis momentum amittatur , quo mors Infantis apparens in veram commutari possit , illico sub conditione , utì mos est in dubiis , baptizetur : Fœtus enim ex nimia debilitate sœpe mortuus omnino videtur , qui non nisi æger est , vel ad summum moribundus , ut alibi clarissimè probabo ; [a] remedia quòque proponens , quibus ad vitæ officia revocetur .

Cavendum etiam erit , ne Matris , ejusque sanguinis , aliorumque liquorum in utero putrescentium fœtorem , cum cadaverico Filioli fœtore ; ac ne gangrænam viventis Fœtūs cum

[a] Lib. 3. à cap. 7. in Arch. cap. 10.

putrefactione confundamus. Distinctionis signa dabimus alibi. [a]

6. Diximus, Parochum debere statim baptizare Infantulum: Non enim expedit, eum ad Ecclesiam deferre; nam, cum partus non fuerit naturalis, periculum subest, ne interea inopinatè decedat.

7. Sed ad Chirurgum redeamus. Animadvertis, Infantes non semper in utero inveniri: Conceptio enim quandoque est vitiosa. Celebre quidem est factum *Tolosanum*. Prægnante non imestri mortua, & à Chirurgo dissecata, visus est uterus, gravidarum more, grandis, verùm scirrhosus, & crassitudine quatuor digitorum transversorum; ejus tamen cavum exiguum, & sinè ullo Fœtūs vestigio, sed sanguine plenum grumoso, & nigricante. Chirurgus itaque jam in animum induxerat, graviditatem fuisse imaginariam: At, cum defunctæ Necessarii asseverarent, eam verè gravidam, totum abdomen aperuit, & in sinistro latere sub *Omento* Infantem adinvenit. Ubi ergo nota prægnatio est, si Chirurgus in utero Infantem non reperit, ulterius inquirat, ventrem ampliori vulnere dissécando, ut illum deprehendat vel in abdomine, in quem fortè prolapsus fuerat, & creverat; vel in tubis *Fallopianis*; vel in ovario ipso, ubi fœcundata ova quandoque subsistunt.

8. Si pro Fœtu mola inveniatur, non ideo desperanda Chirurgo res est, & deserenda. Molam ipsam dissecet: Fortassis enim in ea existit Fœtus. Id olim in nobilis *Venetæ* sectione perspectum, auctor est *Alexander Benedictus*. [a] Simile quoque vidit exemplum *Amstelodami* v. Idus Februarii 1609. *Kerkringius*: [b] Quod cum aliis etiam observationibus confirmari posset, omnes pariter molas existimo semper discindendas.

9. Item Chirurgos moneo, ut sedulò investigent, utrum aliis superfit in Matre Puer, sive gemellus, sive ex superfœtatione extra-hendus, vel etiam plures. Cæterum, de hoc argumento postremo Capite hujus Libri copiosius differemus.

10. Denique, si quando gravida in partu obierit, Fœtus autem baptizatus fuerit in utero per syphunculum, aut sine illo; vel si baptizatus fuerit in pede, manu, vel alio membro foras emissso, quod non sit caput; nihilominus Partus *Cæsareus* in defuncta peragendus erit: Primò, quia Baptismi valor, nisi ministratus ille sit in capite jam ex utero egrezzo, apud nonnullos Theologos est dubius: Quapropter, nato deinde Infantи sub


[a] Alex. Benedict. *Lib. 25. de Morb. cur. c. 29.*

[b] Kerkring. *Anatom. Observ. 25. Bonet. Medic. Septentr. t. 2. in Miscell. c. 7. in Schol. ad Bartholin.*

conditione iterandum esse , à Rituali *Romano* præcipitur.

Secundò , quia Parvulus , quamvis Baptis-  
mum acceperit , educendus est , ut à corpo-  
ris morte liberetur.

Tertiò , quia fortè alii sunt Fœtus in utero  
ex superfœtatione geniti , similiter etiam ex-  
trahendi ac baptizandi.



## C A P U T I V. \*

*Etsi notabile tempus à morte Matris ef-  
fluxerit , non esse omittendam Incisionem  
Cæsaream , cùm Fœtus etiam per dies  
integros supervivere possint , & quan-  
doque tam vegeti , ut etiam sponte oriri  
possint.*

I. **D**ictum est suprà , Partum *Cæsareum* esse , Matre mortua , quàm citius adhibendum , ne fortè Infantis vita , tot obnoxia periculis , interim evanescat . Cæterùm , omnino falsum est , & ab universali experientia improbatum , quod scripsit *Sanchez* , ab aliquo fortè sui temporis Medico deceptus , maternos scilicet morbos adeò Fœtui in utero participari , ut priùs ipsum præ teneritudine , quàm Ma-

\* In Arch. c. 5.

trem occidant; ita ut pene miraculum sit,  
Fœtum, Matre mortua, vivum reperiri..

Falso est etiam, quod docuit *Rodericus à Castro*; [a] Matre nimirūm expirante, nullo temporis intervallo etiam Puerum interire. Tribuit is vitalem Infantis motum contractioni, & expansioni arteriarum umbilicalium, quem *motum transpirationis* appellat, à systole & diastole materni cordis dependentem, & consequenter necessariò restitutum, quandocumque illæ restiterint: Ac proindè autumat, Matre deficiente, Fœtum illicò, & inevitabiliter extinguendum. Idem sentit *Varandæus*, [b] apertè sustinens, Infantulum, dum est in utero, non suā, sed Matris vitâ vivere. *Zacchias* [c] verò *Castri*, & *Varandæi* sententiam valdè emollivit: Innumeros enim faretur Fœtus longè post Matris obitum vivos repertos, & Partum *Cæsareum* docet esse faciendum: At, cùm quædam physicæ veritates ejus ætate non satis essent elucidatae, *Castri* & *Varandæi* principium admittit; Infantem scilicet vivere vitâ Matris: Quocircà putat, Fœtus, ad nascendum non adhuc maturos, quales ut plurimūm sunt ante nonum mensem, si ad incisionem veniretur, mortuos fore semper inveniendos. Addit, *Cæ-*

[a] Roderic. de Castro l. 4. de Morb. Mulier. c. 4.

[b] Varand. de Affect. Mulier. c. 7.

[c] Zacch. t. 2. l. 9. tit. 2. q. unic. n. 14. & seq.

*sareo* Partu extractos omnes fuisse nonimestres, vel decimestres; quod solùm eorum robur cum morte configere valeat, quodusque ad eos eruendos Chirurgus accurrat.

2. Verùm quis crederet? *Castri* & *Varandæi* opinio, Fœtibus adeò perniciosa, & communiter, etiam *Zacchiæ* temporibus, à Medicis, Theologisque rejecta, periculum est, ne hoc ipso præsenti sæculo à quibusdam Parochis in praxim deducatur. Duos ex his novi: Primus, quamvis medicinam profitetur, illa tamen opinione delusus, nullam, ut mihi fassus est, de hujusmodi Fœtu liberando solicitudinem gerebat. Alter, cæteroquì zelo sinè dubio insignis, nec indoctus, nonimestrem Gravidam cum Fœtu, probabilissimè adhuc vivente, sepeliri permisit: Certò enim putabat, Fœtus eodem temporis momento Matribus morientibus commori, ac proindè incisionem faciendam esse, antequàm Gravidæ ultimum spiritum emittant; quasi licitum sit, Matrem ad servandum Filiolum immolare: Omittendam verò existimabat incisionem, ubi casu aliquo ante Gravidæ mortem nequisset adhiberi. Cùm autem illi ejus errorem detexerim, impossibile dictu est, quem exinde animi angorem, amaritudinemque de Pueri perditione conceperit.

3. Ut ergo similia damna evitentur, operæ pretium duxi, rem in propatulo constituere, & propterea *Sanchezii*, *Castri*, *Varandæi*,

atque *Zacchiæ* opiniones, *Romani Ritualis* auctoritate satis de falsitate convictas, primò experientiâ, deinde etiam ratione profligare.

Et quod ad experientiam attinet: Innumerabiles Pueri, à *Romanorum* saltem Regum ævo usque ad præsens, è Matribus defunctis vivi extracti sunt: Dicere autem, omnes istas ad unam lethargo, vel hysterico morbo decentas, & oppressas, non verò mortuas, contra fidem omnium Chirurgorum, & Medicorum, qui, utì bene adnotavit *Rainaudus*, ad cæsuram devenire non solent, nisi de prægnantis morte se reddiderint certiores, stulta effer cavillatio, ac temeritas manifesta: Ita enim sub passionis hystericæ, vel lethargicæ prætextu, possemus cunctas mortuorum resurrections, ab Ecclesiastica Historia narratas, perficta fronte pernegare.

4. At illud contra *Castrum* & *Varandæum* certè mirabilius, Fœtus nimirùm; multo post tempore Genitricibus mortuis quandoque supervivere. Infinita recensere possem exempla, passim à Scriptoribus narrata, quorum multa *Scurigius* adunavit. [a] Dabo tamen recentiora, & à me examinata, quæ *Panormi* contigerunt.

Cùm xv. Kalendas Julii An. 1732. honesta Matrona obiisset, accurrere confestim duo Medici, totidemque Obstetrices, omnesque

[a] *Scurig. in Embryolog. à pag. 118. ad 147.*

asseverarunt, omittendam esse incisionem, quod neque calor in uteri regione, neque motus in Fœtu, neque aliud vitæ signum in ipso cerneretur. Nihilominus, cum fortè deinde supervenisset Chirurgus, & reclamasset; post quindecim fermè horas incisio facta est: Puer tamen vivus extrahitur, & baptizatur; qui demum post quatuor horas defunctus, unà cum Matre Ecclesiasticæ Sepulturæ contraditur.

Celeberrimus *Panormitanus* Archiater, *Angustinus Gervasius*, de *Sicilia à Messanensi* peste servata optimè meritus, cum audiisset, Gravidam, quæ Sanctæ *Claræ Gynecæ* famulabatur, ante viginti quatuor horas defunctam, Chirurgum ad illam adduxit, & obfirmato animo secari præcepit. Infantulus, ut ille mihi narravit, vivus repertus est, deindeque Baptismate donatus.

*Emmanuel Carusus*, nobilis ex Ordine Ministrantium infirmis Concionator, in domo erat mulieris ante viginti tres horas defunctæ: Cum, sicuti ex ore ipsius accepi, casu vidit illius ventrem commovéri, eam esse prægnantem inclamans, incidi curavit: Puer vivebat, & Sacram Lotionem adeptus est.

*Xaverius Henricus*, in Sancti *Bartholomæi Nosocomio* Chirurgus, mortuam Prægnantem, ut, ipso testante, didici, post viginti quatuor horas dissecuit, & Infantulam vivam extraxit, deinde Baptismi gratiâ expiatam. \*

\* *Alia id genus exempla vide in Archetypo hoc loco.*

5. \* Quamquam, quæ diximus, ad intentionem gravissima sint, majora tamen legimus hic recensenda: Infantulos nimirum, non solum vivos post notabile tempus per incisionem erutos; sed etiam suis ipsorum contibus ortos. Monet etenim cum *Bartholino* celeberrimus *Bonetus*, [a] hujusmodi spontaneas nativitates, etiam sepulta Matre, non raro accidisse.

Profecto *Gorgiam Epirotam*, Auctore *Valerio Maximo*, [b] novimus natum, dum defuncta Mater in feretro ad sepulchrum deferretur, atque ad illius vagitus stetisse vespillones.

Item ex Florilegio Epigrammatum, Interpreti *Lublino*, [c] tres habemus gemellos, à Matris cadavere egressos.

6. Sed ut ad nostra tempora descendamus: In *Saxonia*, *Salmutho* narrante, duo gemelli à Matre, abscisso penitus capite in campis derelicta vivi prodierunt. [d] Cùm in *Anglia* gravida mulier occubuisse, Puer vivus, ex *Harvei* testimonio, postridiè venit in lucem. [e]

\* In Archet. c. 6.

[a] Bonet. Medic. Septentr. t. 2. l. 4. sedt.  
7. observ. 30. quæ est Bartholini.

[b] Valer. Maxim. lib. 1. in Gorgia.

[c] Florileg. varior. Epigram. lib. 3. c. 12.  
n. 42.

[d] Salmuth. cent. 2. observ. 1.

[e] Harv. de Generat. Anim. exercit. 72.  
de Partu.

Vitam etiam retinebat in *Olavia* ix. Kal. April. An. 1665. secunda die à Matris fato Infans. Item aliis, tertia die, uti *Bonetus*, & *Germanæ Ephimerides* meminerunt. [a]

Alium dat Infantem *Riolanus*, [b] Anno 1633. ortum *Bruxellis* altero die à Matris morte. Eum quidem adstantes exanimem deprehenderunt; at certò vivus creditur fuisse, cùm oriretur: Qua enim vi mortuus ex mortua prorumpere potuisset? Delassatus ergo à nascendi conatibus, post egressum vivendi finem fecisse dicendus est.

Tertia verò die natus erat pridiè Kalend. Novemb. 1609., ac vivus ex allata ratione Parvulus, de quo *Salmuthus*, [c] quamquam deinde mortuum invenerint. Idemque omnino accidit alteri, mense quòque Novemb. An. 1673. in pago *Tronningen*, cui proxima erat *Bartholini* narrantis habitatio: [d] Villica prægnans ex partu difficillimo, nil suffragante trium Obstetricum auxilio, decesserat: Domestici nullam exinde de Fœtu septimestri curam suscepérunt, qui totus in utero latens, biduum supervixit, Matris interea humatione dilata. Demum tertia die factō impe-

[a] Bonet. *Med. Septentr.* t. 2. l. 4. *sect. 7. obser. 29.* in *Schol. Ephem. German.* locis *infrà citandis.*

[b] Riolan. in *Antropol.* ult. lib. 6. c. 8.

[c] Salmuth. *Cent. 2. n. 36.*

[d] Apud Bonet. *Medic. Septentr.* t. 2. l. 4. *sect. 7. obser. 30.*


tu exivit certò vivus, quamquam paulò pòst ingentibus nascendi laboribus fractus animam efflaverit: Adhuc enim calorem conservabat. Quod quidem admiratione dignum existimò: Quamvis enim secundinæ laceratæ, ac liquor, qui in eis continebatur, quiue nutrimentum Fœtui præbebat, jam esset effusus, attamen ipse, ut Auctor ait, *Vitam propriam, ut antè, vixit, alimento antea per os in ventriculum congesto, sicuti cochleæ suo succo vicitant.*

7. Feliciori tamen sorte usus est *Hispanus Infans*, de quo *Rejes*, aliique. [a] *Segoviae, Francisci Arevallii* longè absensis uxori diem supremum obierat: Cùm autem specialis tabellarius marito rem detulisset, ille *Segoviam* rediit; nimis tamen serò, conjugè nimirùm sepulturæ jam tradita. Sed, amoris æstu impellente, rogat, referari sibi sepulchrum, quo mortuæ saltem aspectu dolorem aliquatenùs temperaret. Dum igitur, petitio ne impetrata, defunctam deploraret, ecce! Deus novi & insperati gaudii causam suppeditat: Ex motu enim circa ventrem animadverso atque vagitu, intelligit defunctam parere, factaque inquisitione, Filiolum planè vivum caput è materno sinu emisisse, deprehendit: Qui propterea extractus, tandem, procedente tempore, *Serisiam* gubernavit.

8. Innumerí

[a] *Rejes Elys. jucund. quest. 79. n. II.*

8. Innumeri quidem his addi possent, afferanter ac summo planè consensu relati ab auctoribus gravissimis, ac nostri ævi celeberrimis Medicis, & Anatomicis, quorum hic nomina saltem recensebo, [a] ut res plurum auctoritate, ac testimonio firmata ad sordium pudorem indubitabilis ostendatur; &, qui *Cæsaream* incisionem, praetextu longioris temporis elapsi, turpissimè negligunt, omnino reddantur inexcusabiles.



## C A P U T V. \*

*Fœtus, quamquām decimo, vel nono mense  
minores, vivos reperiri.*

1. **E**xperimentia ergo, contrà quām sibi vulgus persuadet, clarè demonstrat, non solum Fœtus Matri morienti non commori; sed etiam ipsi diù supervivere posse. Porro eadem experientia contra *Zacchiam* idem

K

[a] Bruhier. *de incert. Sign. Mort.* tom. I. c. I. §. 2. n. 5. & §. 10. Marcel. Donat. l. 7. ubi Gregor. Horst. Paulus Eber. in *Kalend. Hist. Cornar. Histor. admirab.* 14. Hildan. in *Lit. ad During. Cornel. Prog. de Generat. Hom. propè finem* fol. 72. Alios plurimos vide in *Archetypo.*

\* In *Arch.* c. 7.

accidere docet, [a] sive Fœtus jam partui sit maturus, decimo nimis rūm, vel nono mense; sive etiam immaturus; ut ipse in Puer trimestri olim vidi, quem à Matre ex pleuritide mortua extractum baptizavi. Nec valet objectio illa *Zacchiæ*; scilicet Auctores, de Partu Cæsareo agentes, ut *Rousselum*, ac similes, semper de Pueris nonimestribus, non autem de minoribus, mentionem facere: Oporteret enim, ut illi narrarent, se, vel alios ante nonum mensem Gravidas incidisse; atque adderent, Infantes exanimes repertos; aut saltem rei exitum præterirent. Nunc verò, cùm tantūm referant, *Bertā*, vel *Paulā* nono mense dissectâ, vivum Filiolum extractum; non indè legitimè inferri poterit, eum necessariò mortuum fuisse inveniendum, ubi ante nonum mensem dissectio contigisset. Deinde, Auctores isti ferè de Partu Cæsareo viventium loquuntur, qui nequaquam fit, nisi post septimum saltem mensem completum, naturali scilicet partu jam desperato. Frustrà ergo in eorum libris Fœtus immaturi, à Matribus viventibus eruti, exquiruntur. Postremò, non facile quidem perspexerit *Zacchias* in Hærōrum Historiis, Virum illustrem ante nonum mensem Partu Cæsareo exortum: Fœtus enim immaturi, licet Baptismi capaces, vitales ne-

[a] *Zacchias* t. 2. l. 9. tit. 2. q. unic. n. 14. & seq.

quaquam sunt, ut exinde adolescere possint, & evadere insignes. Cæterum neque ipse ullibi, præterquam in *Zacchia* legi, cæsones ante tempus partui destinatum extractos, necessariò mortuos inveniri. Profectò *Rituale Romanum*, sinè distinctione maturæ, vel immaturæ graviditatis, in universum Prægnantes præcipit incidendas.

2. Quod autem rariores accidunt *Cæsareæ Sectiones* in graviditatibus à partu remotis, non valde mirandum est.

Nam primò, hujusmodi graviditates Parochis, etiam diligentioribus, non facilè innotescunt.

Secundò, quia, si defunctæ Necessarii tantâ sunt socordiâ in providendo Fœtibus majoribus, ac nativitati jam proximis, quantâ credendum est eos laborare stultiâ in eruendis minoribus?

Tertiò, quia, quarto mense nondum incepto, Abortus frequentissimi sunt, ita ut lethali ægritudine afflicta Mater ante obitum saepè Abortum faciat, atque adeò Partûs *Cæsarei* necessitas evanescat.

Quartò, quia saepè etiam vice versa, Divina Providentia Gravidas primis mensibus à morte præservat, in gratiam tenelli Fœtûs, quem secùs Domestici perire sinerent, Sectione prætermissa.

Postremò, quia faciliùs reverà Prægnantes à sexto mense ad finem graviditatis, quam

post hujus initia, moriuntur: Quamvis enim prægnatio effectus naturalis dicenda sit, non verò morbosis; attamen mulieres, præsertim in principio & fine, divexat. Et quidem, sicut in principio mutato naturæ statu & œconomia, Prægnantes variis incommodis afficiuntur; ita, quò magis ad finem illa properat, ed magis earum valetudo ac robur debilitatur ac frangitur, edque minùs illæ supervenienti morbo resistunt; maximè, cùm non omnia remedia, scilicet ne Fœtui noceant, possint Gravidis exhiberi.

3. Hæc omnia in causa sunt, cur numerosiores videantur *Cæsarei* defunctorum Partus ultimis graviditatis mensibus, quàm primis. At non ideo Parochi teneriores Fœtus negligere debent; imò erga eos peculiarem adhibere tenentur industriam, propter hoc ipsum, quia nemo est, qui eorum extractiōnem sollicitet: Cùm cæteroquì, si qui per Sectionem *Cæsaream* quæsiti sunt, vivi, non minùs ac robustiores, inventi sint.

4. Illud verò *Zacchiæ* non satís percipio; quomodò scilicet asserat, Auctores non loqui de Fœtibus, qui vivi ante nonum mensem extrahantur; cùm contrarium pateat ex quæstione per illos instituta de successione *Cæsonum*, in qua quidem Juristæ secuti Medicos, ita distinguunt: Si enim *Cæsones* naturali jam partui sint idonei (scilicet, saltem septimestres) & ita validi, ut vitæ diù retinendæ

spem præ se ferant, admittentur ad legata & hæreditates, tamquam verè nati, etsi tales grammaticè non sint; secùs, nullo modo pro natis habebuntur. In *Hispaniis* verò, *Carranza* & *Rainaudo* testibus, [a] necesse est, etiam eos & Baptismum suscepisse, & per viginti horas extractioni supervixisse.

5. Certè Obstetrics omnes uno ore tentantur, plurimos Abortivos circa 40. diem, imò & multò antè, uti superiùs dictum est, se viventes ostendere. Medici autem Scriptores non solùm supponunt, posse Puerum, etsi quinquemestrem, aut etiam quadrimestrem, oriri vivum; sed & quandoque adolescere, & ad maturam ætatem pervenire; idque *Rejes*, & *Schenchius* pluribus exemplis fusè comprobârunt. [b] Imò, quod magis omnino miraberis, hoc ipsum, quinto saltem elapso mense, quamquam veluti rarum, ipse-met *Zacchias* admittit, [c] auctoritate pressus *Rotæ Romanæ*, *Avicennæ*, *Cardani*, *Vallesii*, *Augenii*, & *Torreblanca*; quibus, inquit, fidem derogare, cùm magni aliquin, & veridici *Viri extiterint*, piaculum fortasse esset. Cæterūm non desunt re-

K 3

[a] *Carranza l. de Part. natur. c. 1. 5. 6. n. 14. Rainaud. loco cit. n. 2.*

[b] *Rejes Elys. Fucund. c. 90. Schench. t. 2. lib. 4. observ. 181.*

[c] *Zacch. t. 1. tit. 2. q. 2. à n. 6.*

centiores historiæ Fœtuum minimorum, qui vivi Partu *Cæsareo* in lucem venerint: Nam præter *Montere galenses* non paucos, \* unus *Neapoli* quadragesimo quarto à conceptu die; \* & aliis *Caltanissetæ* quadragesimo, \* educti sunt.

6. At relatu dignissimum censeo, quod mihi *Marcellus Muscella* Vir clarissimus, & civitatis Sanctæ *Luciæ* nullius Diœcesis Abbas & Præsul ordinarius, enarravit. Hoc Opere perlecto, præceperat ipse Parochis, ut Partum *Cæsareum* Gravidarum pro re nata curarent. Cùm ergo viii. Kal. Sept. 1745. *Cæsarea Schepisi*, *Dominici* Uxor, occumberet, hæc, se prægnantem esse patefecit; currere autem vigesimum, vel vigesimum primum graviditatis diem, ut ex nausea carnium, solito ipsi gestationis indicio, aliisque adminiculis conjiciebat. Eâ igitur post mortem dissecata, inventus est Fœtus pro temporis ratione formatus, caput nimirùm habens, oculosque bene distinctos; attamen in figuram conicam, prout hujusmodi ætatis Embryones, definebat. \* Illum ex motu jam animatum, & vivum Medici, & Presbyteri præsentes judicarunt. Baptizatus est ergo, deindeque extinctus, cum Matre in *Capucinorum* Ecclesia

\* In *Archetypo* l. 2. c. 9.

\* In *Archetypo* lib. 2. c. 5. n. 10.

\* In *Archetypo* c. 9. n. 3.

\* V. in *Arch.* l. 1. c. II.

tumulatus. Rei novitas maximâ lætitiâ civitatem affecit, & admiratione defixit: Populus verò, optare se, ut imposterum Partus *Cæsar*-*reus* defunctorum Prægnantium in morem abiaret, prompto & alacri animo protestatus est; quod & sedulò factum, ipsis exinde Gravidis moribundis ultrò expetentibus.

7. Duo hic objici possent: Nimirūm; vel Fœtum illum fortè rationali spiritu nondum animatum fuisse; vel majori ætate potum, quam tradatur. At verò, sive spiritu rationali animatus fuerit, sive non, certum tamen est, eum, etsi tenerimum, à materno morbo non fuisse corruptum: Ubi enim quis diceret, illum anima sentiente solùm, vel etiam simplici vegetante, juxta *Aristotelicorum* placita, informatum, si Matris infirmitas, & subinde mors, vitam ipsi non abstulit; multò minùs eidem, ad quadragesimum diem perducto, magisque roborato, abstulisset. Quamvis autem ex figura & circumstantiis, longè verosimilius sit, Fœtum istum vigesimum diem non prætergressum; supponamus nihilominùs, fuisse quadragenarium, & solùm ex errore in tempore graviditatis computando, reputatum vicenarium: Longè tamen distabat à nono mense, quem *Zacchias* ad Matris incisionem requirit. Insuper, admissò computationis errore, apertè consequitur, non multùm in diminuenda Embryonum ætate fidendum esse relationibus Gravidarum: Nam juxta objectionem,

Fœtus hic multò major fuisset, quām Paren-  
tes crediderant. Sæpe ergo & vivi, & certò ani-  
mā rationali jam prædicti erunt Fœtus illi, qui  
per errorem perquām minusculi reputantur.

8. *Zacchiæ* igitur opinio falsa est. Atta-  
men, cùm ratione aliquatenū innitatur, quòd  
scilicet Fœtus nono mense minores, adeò sunt  
debiles, ut vix possint esse vitales; valebit  
quidem ad Partum *Cæsareum* quantò citius  
accelerandum; non tamen ad ipsum propter  
felicis eventūs desperationem omittendum.  
Porrò, quoties ipsi miramur, in moribundis  
vitam in longum protrahi, licet mente asse-  
qui non valeamus, quomodò in tot angustiis,  
tantaque lucta persistat? Videmus quòque,  
in exanimi corpore, viva diutiùs conservari  
pleraque insecta, quorum vita exigui sanè mo-  
menti est; & interim negabimus, Divinam  
Providentiam res humanas ita disposuisse, ut  
multi ex minimis his Infantulis vivi rema-  
neant, quantum ad eos extrahendos bapti-  
zandosque sufficiat? Cura profectò à Deo  
creatūris suis ratione utentibus præ irratio-  
nabilibus impensa, adeò præcellens est, ut,  
comparatione facta, dicere non dubitārit  
Apostolus: [a] *Numquid de bobus cura  
est Deo?*

[a] *Ad Cor. 9. 10.*

\* Capite 9. in *Archetypo* pergit Auctor ab  
experientia, in pluribus casibus habitā, proba-  
re, *Pregnanti mortuæ plerumque supervivere  
Fœtum.*

## C A P U T V I . \*

*Philosophicè ostenditur, Fœtum Gravidæ  
morienti non præmori.*

I. **F**œtum Genitrici præmoriturum, ex eo nonnulli cum *Sanchez* [a] putaverunt, quod eidem maternus mōrbus necessariò communicetur. At hanc morbi communicationem fieri semper, morbumque in æquali gradu Filium ac Matrem inficere, à veritate est alienum. Etenim si Prægnans aneurismate, vel apoplexiâ ex vasorum ruptura perimitur, quid hæc ad Fœtum? Item, si pleuritide, peripneumoniâ, aut vesicæ, aliorumque viscerum inflammatione; aut internis ulceribus, abscessibus, ac similibus affligatur; non propterea iisdem malis vexabitur Infans. Quod si vitium existat in liquidis; fateor, in Puerum facillimè traduci, maximè si, mutua detur sanguinis inter Fœtum & Matrem derivatio & permixtio, ac alterna per utriusque vasa circulatio, quam tamen plerique negant. At circumeat, ut placet; ex hoc non sequitur, humores necessariò Fœtui tantum damni allatueros, quantum genitrici intulerunt:

\* In Arch. c. 10.

[a] *Sanchez de Matr.* l. 9. disp. 20. n.  
17. & 18.

Nam, ut videmus in natis, sanguis quantumvis vitiatus, qui prava sua qualitate in aliqua nostri corporis parte solidi, morbum induxit, et si totum circumeat corpus, non ideo similem ubique morbum ingenerat: Non enim loci sunt æquè dispositi. Imò, quod magis notandum est, sæpiissimè liquida firmiores, atque robustiores lædunt ipsius corporis partes, debilioribus ac delicatioribus interea prorsus intactis.

2. Decumbunt nec raro duo eodem die, eadem febri, quamquam pestilentiali, iisdemque urgentur symtomatibus: Sorbent alii idem venenum æquali dosi, ac iisdem remediis uterque munitur; & tamen alter ex his, vel illis, saluti restituitur, dum alter occumbit: Quod si ambo deficiant, ob circumstantias tamen personales planè diversas non eodem temporis momento extinguntur. Porro, circumstantiae Matris & Fœtūs, interdum toto cœlo distabunt: Est quidem Fœtus tenerior; at non propterea magis à peccante humore contaminari necesse est: Maximè cum multis ille naturæ privilegiis gaudeat, quæ Matri dengantur.

3. Porro Fœtus aëris tempestatisque molestiae non eodem modo, quo Mater, subjicitur: Usus alimentorum in eo exactissimus & castigatissimus: Nulos ipse admittit errores, in quos nati, vel ob arbitrii libertatem, vel ob morbi impatientiam prolabuntur. Liber

ab animi passionibus, vitâ solùm vivit animali, & in omnibus à natura, quæ deviare non potest, perpetua directione movetur. Cibus, quo alitur, ad eum valde subactus, præparatus, & propemodùm digestus deducitur: Quare, ut Anatomici adnotârunt, cùm vix egredit excrementa, præcipua illius excretoria, præterquàm in extrema necessitate, otiantur. Sanguis insuper, qui fortè à Matre in ipsum derivatur, antequàm ad vitalia ejus organa perveniat, per placentam primò, deinde per vasa umbilicalia permeando depuratur. Prætereà membranas habet, in quas morbificum venenum amandare ac deponere consuêvit.

Addatur his, flammulam, ut ita dicam, ejus vitæ esse vivaciorem, ejusque spiritus alacriores. Nihil ipse perfecti ac nobilis, quod à principio cum semine sibi transmissum fuit, quodque jam natis in dies ad senectam, & mortem usque minuitur, hactenus amisit; & nihilominùs liquidorum motus in ipso tardior, ac lenior est; cùm ob defectum præfertim aëris exterioris, minor in eo sit fermentatio, & minor agitatio.

4. Licet igitur possit Infans è vivis cum Matre simul proficisci, vel eandem præcedere; attamen regulariter illi superstitem observamus: Quod ex innumeris exemplis clarissimè demonstravi, in quibus quàm plurimi Fœtus per notabile temporis spatum post Baptismum vivi perstitere; quamquàm ple-

rique nimis immaturi , & exteriori aëri ex-  
positi aliquid indè nocumenti necessariò sub-  
ierint: Etsi etiam nemo eos foverit , aut quo-  
quo modo recreaverit. Eadem ipse in pluri-  
bus, me præcipiente , extractis Infantibus per-  
spexi , quamvis diverso lethi genere Matres  
obiissent; uno scilicet dempto , cuius Genitri-  
cis occisio nonnisi post duodecim horas inno-  
tuerat: Quo casu objectio *Sanchez* , quæ in  
**G**ravidis interno morbo , non autem externa  
vi pereuntibus , dumtaxat locum habet , aptari  
non posset. Imò *Sanchezii* opinio , neque in  
ipsis Fœtibus tertio mense minoribus , etsi  
tam exilibus , vera credenda est ; præsertim  
si jam completi sint , nimirùm circa quadra-  
gesimum diem : Innumeræ namque fœminæ ,  
tertio , secundo , vel etiam primo gestationis  
mense , ad extremum vitæ à febribus malig-  
nis , mortalibus , venenatis adactæ , ac deinde  
sanitati redditæ , gravidæ nihilominùs reman-  
serunt , ac tempore debito Fœtum optimè  
valentem ediderunt. Cùm igitur possit ad ex-  
tremum usque Genitricis cum morte luctamen ,  
vitam retinere Puerulus ; quare non poterit ali-  
quantò diutiùs vivere , quodad , illâ jam defuncta ,  
protinus extrahatur , & baptizetur ? Nec mihi  
respondeas , Matris & Fœtûs liberationem in  
casibus antedictis , nonnisi medicamentis Ma-  
tri datis adscribendam : Nam quod ista efficere  
valent , plerumque sola natura , etsi majori  
cum difficultate , præstare potis est. Porro , quot

Prægnantes ob egestatem congruis præsidiis caruerunt? Quot, ea cùm haberent, obstinatissimè respuerunt? Quot etiam accipere nequiverunt, lethargo, vel phrenitide miserabiliter impeditæ? Quot aliis errore Medicorum remedia salutaria denegata, & propinata nociva? Et nihilominus tum ipsæ, tum Fœtus, etiam tenerimi, prorsus incolumes evaserunt.

5. Cæterū, etsi supponeremus metum, & spem de mortuo, vel vivo Fœtu inveniendo, invicem collatas videri pares, & exitum anticipitem; bonum æternæ salutis Filioli, est ordinis tantò superioris præ vita Matris corporali, ut cum ea æquis lancibus libratum, mirum quām longè præponderet. Profectò, in alio dubio, an Fœtus videlicet sit animatus, præcipiunt Doctores, Matrem ab omni eo, quod Fœtui nocere valeat, eodem modo abstinēre, ac si certò, illum animatum esse, sciretur. Quantò magis ergo, ubi dubitatio animationem non respicit; sed, illâ suppositâ, solūm incerti sumus, an Fœtus post animationem obierit, vel etiam, antequām possit baptizari, sit obiturus? Hic enim apertè possessio stat pro Infantuli vita, quæ propter dicta in ipsius favorem, omnino erit præsumenda.

\*C. 11. in Arch. contra Castrum & Varandæum demonstrat Auctor à ratione, Fœtum unà cum Matre ob defectum respirationis non extingui; & C. 12., ei, Matrem mortua, non deficere nutrimentum, cùm vitâ propria omnino vivat & fruatur.

6. Ex hucusque dictis duæ satis firmæ conclusiones manifestè oriuntur.

Prima est, quamvis certò mortua Prægnante, non idcirco mortuum credendum esse Fœtum; imò præsumendum potius vivum: Ac proptereà Matrem ad liberandum Filium, juxta communem Medicorum tum veterum, tum recentiorum sententiam, [a] esse omnino incidendam.

Secunda est, Fœtum, etsi ut plurimum brevi, Genitrice mortua, extinguatur; attamen posse non solùm per horam & amplius, sed & per integros dies, infinitis etiam exemplis comprobantibus, manere superstitem: Ita ut, quocumque demùm tempore post Matris obitum elapso, Partus *Cæsareus* nunquam sit omittendus. \*

[a] *Præter Auctores c. 4. n. 8. hujus Libri laudatos, Timæus, Mauriceau, Albinus, La Motte, Guillemeau, Paræus, Scultetus, Peu, Deventerius, Heisterus, & alii innumeri.*

\* *In Archet. C. 12. n. 9.*



## C A P U T V I I . \*

*Quamvis, obiisse Fœtum, asseverent Medici  
& Obstetrices; attamen Partum Cæsa-  
reum non esse prætermittendum.*

I. **Q**uid tamen agendum, si post longas moras, Medici & Obstetrices, Fœtum ventre contentum, jam planè mortuum contestentur? Adhibebitur, eo non obstante, *Cæsarea Sectio*: Nemo enim certè rescire poterit, illum reverà decessisse. Et sanè, vel de Fœtu loquimur, ante Partūs tempora extrahendo; vel de Fœtu, instante puerperio, & utero jam aperto. Si de primo; ejus mortem dignoscere impossibile omnino est: Si de secundo; plūs quàm difficillimum. In primo quidem casu, defectus motūs nimis leve signum, & fallax reputatur: Quoties enim Matres ipsæ usque ad septimum mensem, in Fœtu motum non perceperunt? Id olim accidit Matri meæ, dum utero gestaret Infantem, quem deindè incolumem edidit. *Bartholinus* addit, [a] Matronam, cùm toto novem mensium spatio Fœtum moveri non sen-

\* In Archetypo c. 13.

[a] Bartholin. de Insol. Part. c. 2.

sisset, graviditatem suam non agnovisse, nisi puerperii horâ jam adveniente. Quàm faciliùs autem Obstetrix falli poterit, quæ ante Partûs horas Infantes non nisi mediatè, & ad breve tempus attrectat?

2. Porrò, nati ipsi & adulti, dies totos, quamquàm vivi, sinè apparenti pulsu, sinè motu, sinè respirationis indicio perstiterunt. Quot autem ex illis proptereà sepulchro illati sunt? Quantò ergo frequentiùs id in non-natis evenire necesse est, qui vitâ fortasse destituti non sunt, etsi motu carere videantur? Quis enim eos manibus contrectare? Quis oculis perscrutari? Quis eorum pertentare arterias? Quis denique in eis vitæ, mortisve indicia contemplari valebit? Et quidem, quamvis Maritus in regionem longinquam profectus, tamdiù perseveraverit absens, ut verisimiliter mortuus existimari debeat, solumque commercii defectum ejus mortis indubitatum nuncium impedire; attamen Canonicæ Leges [a] viventem præsumunt, semperque Uxori secundas nuptias interdicunt. A fortiori ergo Puerulos hosce præsumere debemus vivos, ut eos liberare tentemus.

3. Si autem de Fœtu, instantे jam partu, sermo sit, negari non potest, rationes modò allatas maxima ex parte pro ejus quòdque mortis incertitudine militare, & innumeris experimentis

[a] Cap. in Præsentia de Sponsal.

rimentis roborari. *Heisterus*, ut ipse fatetur, viventem Puerum, quem extinctum putaverat, ferramentis extraxit. [a] In eumdem omnino errorem incidit *Peu*, qui se in Partu difficiili quam plurimis enarrat signis delusum, non solùm mortui, sed putrescentis Fœtūs, qui tamen vivebat.

4. Cùm tertio nonas Octobris 1636. pauperrima villica in mea *Palmensi* Parœcia oc-  
cubuisse, senior Obstetrix, cognomine *Spi-  
na*, & *Lucianus Tarbi*, Chirurgus insignis,  
in Nosocomio *Romano S. Spiritūs* pluribus  
annis eruditus, asseverabant, Fœtum ante du-  
os dies obiisse. At ego nihilominus obsfirmato  
animo omnino incidi fæminam jussi, & In-  
fantulam inveni viventem. Eam propterea  
baptizavi, nec nisi post quadrantem discessit  
è vita. Igitur, ut cum pompa sepulchro in-  
ferretur, præcepi, & Funebre Officium ipse  
celebravi, ut, his artibus rei famâ evulgatâ,  
cuncti ad infirmarum graviditates mihi de-  
nunciandas inflammarentur. Quod exinde  
semper felicissimè sum consecutus: Incredi-  
bile enim est, quantam alacritatem & spiri-  
tuale gaudium inspirent Fidelibus Populis  
hæc publica de æterna nostrorum Parvulorum  
salute lætitiae signa. Quam ob rem Parochos  
moneo, ut in hujusmodi eventibus eadem  
præstent, Clerum scilicet invitent, ac in Ec-

## L

[a] *Heister*. p. 2. sect. 5. c. 113.

clesiam, velutì cum quadam triumphi specie, fortunatos hosce agniculos deducant, boni Pastoris Evangelici exemplum imitando, qui recuperatam ovem, in humeros proprios impositam, tanta cum exultatione reportat. [a]

5. Hæc à me scripta cùm legisset *Joseph Timpanellus Mazzarinensis* Parochus, omni modo incidi Gravidam præcepit, frustra renitente Chirurgo, qui Fœtum esse mortuum judicabat. Is autem vivus inventus est; cùmque paulò post Baptismum obiisset, solemní pompa elatus fuit, populusque jucunditate maxima expetiit, ut jam in posterū Partus *Cæsareus* in eo oppido, usque modò invisus, frequentaretur. [b]

Cum pompa etiam *Dominus Barberius* Parochus *Jojosensis* Infantem alium extractum sepelivit, rei famâ vicina oppida complete, omnibusque plaudentibus. Quàpropter Fœtus, et si minimi, jam extracti & baptizati, non sunt denuò Matris utero includendi, atque suendi; sed apertè ad populi undequaque intuentis lætitiam in Ecclesiam deferendi: Quò nimirùm omnes perdiscant, defunctis Gravidis, æternam Parvulorum salutem esse incisione procurandam.

6. Verùm nihil magis arguit Medicorum & Chirurgorum in detrectanda quandoque sec-

[a] Matth. 18. 12. & seq.

[b] Epistola Josephi Timpanelli ad Episc. Syracus.

tione imprudentiam, quām Sancti Raimundi Nonnati, qui ad annum 1200. obtigit, mirabilis ortus. [a] Raimundi Mater, post infelicissimam graviditatem, cūm partui proxima in lethale deliquium ex morbo incidisset, à Medicis per horas viginti quatuor acermissimis remediiis divexata, & demum expergefacta, suprema Sacra menta recepit, mandavitque sui corporis, postquām decederet, incisionem, ut Fœtus liberaretur. Eā igitur mortua, Necessarii pro Partu Cæsareo institerunt; sed incassūm: Nam Chirurgi atque Medici obstinatissimè sunt reluctati: Statuebant enim, Matris morbum Fœtui communicatum, utrumque certò extinguere debuisse, aut saltem violenta illa medicamina, quæ Matri nequaquam profuerant, Filiolum enecasse; magnisque clamoribus jactabant, crudele & impium esse mortuam trucidare, cūm conservatio vitæ in ejus Fœtu juxta omnem artis medicæ rationem omnino impossibilis videatur; neque sinè Divina Revelatione miraculum expectandum, cuius nullum indicium, nequidem dubium, appareret. Tribus itaque diebus integris hæc eorum resistentia perduravit, cūm totidem diebus defuncta insepulta jacuerit: Expectabatur enim Cardonæ Vicecomes, illi sanguine conjunctus, quem Ma-


L 2

[a] Mirabilis Vita S. Raimundi Nonnati  
cap. 4.

ritus, instante Uxoris morte, advocaverat. Hic tandem cùm venisset, & rem didicisset, Medicos atque Chirurgos gravissimè reprehendit: Nulla jactura, inquit, in Partu *Cæsareo*, si Puer mortuus est. Creditis illum periisse? Cernamus oculis, utrum reverè sit ita: Maternæ ultimæ preces non sunt sphenendæ: Fortè argumenta vestra valida sunt; verum Providentia Divinæ consilia non attингunt, quæ de tenebris lucem splendescere jubet. Cunctantibus illis, pugionem exerit, ad cadaver accedit, & lateri vlnus infligit. Ex eo Infantulus vivus brachium actutum emittit. Eum igitur educunt incolumem atque jucundum, stupentibus omnibus; Patre tamen præ gaudio vix credente. *Raimundus* autem adultus, *Cardonæ* Vicecomite veluti altero, & sanè amantissimo Patre perpetuò usus est. Neque factum illud miraculo adscribas: Nam primò gratis id faceres. Agè verò, sit illud miraculum, cùm tamen ipsius nulla spes anteà Medicis adstantibusque præluxerit: An non poterit Deus eodem consilio ad aliorum Parvolorum salutem similia portenta patrare, quæ neque tu speras? Numquid abbreviata est manus Domini, vel exsiccata forsitan abysfus miserationum ipsius?

Concludendum est ergo, nihil nos detrimenti subituros, ubi fiat incisio, quantumvis omnia signa, Fœtum mortuum esse, concludent; posse tamen contra spem omnem to-

tum negotium lucrifacere , ut cum *Heistero* ,  
*Gobato* , *Alberto* , *Nymanno* admonet *Hil-*  
*danus* : [a] „ Præstat itaque , is ait , centum  
„ cadavera Prægnantium frustra incidere ,  
„ quām semel permettere , Fœtum vivum in  
„ utero materno tam miserè perire atque suf-  
„ focari . Hoc profectò esset crudelem atque  
„ inhumanum se erga proximum exhibere ;  
„ imò & justissimam Iram Divinam in genus  
„ humanum provocare . „



## C A P U T V I I I.

*Parochus neque defunctæ Necessariis , ne-*  
*que Chirurgis , neque suis adjutoribus ,*  
*neque aliis fidere debet , si verè salutem*  
*cupit Infantorum.*

I. **O**nus curandi , ut Partus Cæsareus  
administretur , procul dubio præci-  
puè in Marito defunctæ , ejusque Consanguineis ,  
Hæredibus , Affinibus , atque Domesti-  
cis residet . Nihilominùs hi omnes , sive ne  
mercedem Chirurgo debitam erogent , sive

L 3

[a] *Hildan. in Respons. ad Michael. Döring. Gobat. in Append. 3. ad Tract. 2. de Bapt. n. 30.*

ne mortuam suam viventium extraneorum oculis subjiciant, opus adeò salutare non urgent, neque sollicitant, illud potius difficultatibus involventes. Non diffiteor, pios etiam & prudentes Propinquos interdum reperiri; at hi ipsi non raro sibi persuadent, Fœtum in utero jam vitâ destitutum, & facilè inventiunt ex Obstetricibus, imò etiam ex Chirurgis adulatores, qui eos in hac perniciosa opinione confirment; sive, quia & ipsi operationem *Cæsarei* Partūs, quæ in speciem fera est, & nauseam movet, aversentur; sive, quia nimis timeant, ne ipsis infaustè cedat, & eorum existimatio minuatur; sive, quia mercedem sibi rependendam fore desperent; sive, quia tandem id ex humani generis hostis occulta instigatione procedat.

2. At pejora dicemus. Non desunt magno numero Propinqui atque Domestici, qui non solum Partum *Cæsareum* negligunt, vel subdolè declinare satagunt; sed ei apertè ac inhumanè reluctantur. Deficiunt mihi verba ad exprimendam sceleris hujus atrocitatem. Verè, *inimici hominis Domestici ejus. Panormi* circa Kal. Augusti An. 1743. Consanguinei Gravidam sepelire festinârunt, ne scilicet, ejus prægnatione ad Parochi aures intereà perveniente, ipsi ad sectionem compellerentur. In *Agrigentinæ Diœcesis* oppido, mortua Prægnante, animarum Pastor (qui rem in Congregatione Parochorum An. 1739.

mihi narravit ) accurrerat , ut Puerulo , cæteroquì jam partui maturo , extractionem pararet ; at à Consanguineis defunctæ repulsus est . Idem quòque , me præsente , contigisset *Monteregali* : Domestici enim defunctæ Chirurgum rejecerant , numquam admissuri , ni casu pertransiens ad incisionem , pœnarum metu , compulisse . *Grassus* , *Aragonie* Archipresbyter , in eadem Congregatione retulit , sibi olim ignivomis armis obstatum , ne defunctæ dissectionem curaret ; se autem Divino fultum Præsidio , à præclaro facinore non destitisse , & Infantem feliciter liberasse . Verùm quid horribilis facto , quod in insigni *Siciliæ* oppido circa sæculi præsentis exordium contigisse , à locupletissimis testibus accepi ? \* Nobilis Matrona , septem Filiorum Parens , cùm utero gereret , fato proxima , Filiis convocatis , duo tamquam sibi gratissima postulavit : Primum , ne sibi Partus Cæsareus post mortem fieret . Secundum , ut se nuptialibus , ac maximè pretiosis vestibus indutam sepelirent . Decedit , ac Filii nimis religiosé stultis præceptionibus obtemperant : Cùm enim oppidi Archipresbyter cum Chirurgo ad eam incidendam accurrisset , neque precibus , neque rationibus eos flectere quomodo potuit , ut cæsuram permitterent : Imò præ cubiculi foribus nudis ensibus ad-

stantes, & minas Parocho intentantes, eumdem ad discessum coegerunt: Matrem vero splendido prorsus ornatu veluti sponsam sepulchro intulerunt. Paucis post diebus rumor exoritur, Viros religiosos, ad quos Ecclesia pertinebat, defunctam praedivite veste clam exspoliaisse. Eos itaque Filii magnis clamoribus compellunt ad sepulchrum referandum: At, ô luctuosissimum spectaculum! Matrem aspiciunt nuptiali quidem habitu indutam, sed putrem & horridam; ac prope illam Infantulos duos aureis crinibus, ex utero jam egressos, deinde vero miserrimè defunctos. Cernunt itaque propriis oculis duplex parricidium à se patratum, seque mirantur *Caino* ipso crudeliores. Exinde domus illa, primò illustris & opulenta, Divinæ Iræ scopus effici visa est: Tremenda enim spiritualia ac temporalia mala, in quæ defunctæ Filii cum Patre inciderunt, manifesta Cœlestis Vindictæ signa putata sunt. Minimus ætate Filius, mundus quidem ille fuerat à Fraterculorum sanguine; at nihilominus nec ipse à paupertate, aliisque ærumnis evasit immunis.

3. Atquì hæ legitimæ prægnationes erant. Quid ergo augurandum de infamibus & occultis? In his absque mora, sinè consultatione Propinqui Fœtum cum Matre ad sepulchrum quam citissimè deducunt, rem totam altissimo silentio prementes; neque propterea conscientiæ angore cruciantur. Parochi Administer

fassus est mihi, in ejus Parochia 24000. incolarum, habita ratione infantium tum abortivorum, tum etiam cum Matre sepultorum, viginti circiter animas quotannis perire solitas. Tam enormem verò circa *Cæsareum* Partum vecordiam plurimis in regionibus græf-fari, non dubito.

4. Sedulò igitur mala ista prævertat Parochus (nam, ex Edicto *Agrigentino*, [a] quamvis in occultis graviditatibus omnis, quantum fieri potest, circumspetio, quam suggeret christiana prudentia, in usum venire debeat; nihilominus numquam æterna *Infantis perditio erit permittenda.*] atque in his apostolica libertate Dei causam agat, nullique fidat, nequidem propriis adjutoribus: Parochorum enim Administri (multorum veniam dixerim) non semper eodem zelo, eademque scientiâ ornantur, quibus persæpe fulget Primarius Pastor. Certè numquàm eadem auctoritate pollebunt; quapropter semper minus observantur, minusque timentur, ita ut periculum non raro sit, ne, si res tanta eorum curæ permittatur, ob improsum aliquod & intempestivum obstaculum infelicissimè succedat. Recta bene gubernandi ratio postulat, graviora negotia eorum tractari manibus, qui à Domino sunt ad ea gerenda præcipue con-

[a] *Edict.* Laurent. Jojenii *Episc.* in *Append.* *Mon.* 6.

stituti, quibusque præ omnibus animarum onus  
incumbit. Cura autem *Cæsarei* Partûs, ut  
ipse post duodecim Parochatûs annos fiden-  
ter dicam, tum propter ipsam rei magnitu-  
dinem & impedimenta, quæ passim interpo-  
nuntur, tum propter celeritatem, quam exi-  
git, non solum gravissima censenda est, sed  
longè cunctis aliis antecellit.


5. Antequam Parochus An. 1736. necessari-  
um iter institueret, diligentissimè commendavit  
Vicario suo, cæteroquì pio, de nonnatis so-  
licitudinem. Hic autem, postquam moribun-  
dæ Prægnanti cum Chirurgo astitisset, in do-  
mum suam, quæ non longè distabat, paulu-  
lùm quieturus discessit; admonens tamen il-  
lum, ut, adveniente incisionis hora, se per  
nuntium revocaret. Muliere mortua, nuntium  
mittit Chirurgus; at Sacerdotis Domestici  
non intelligentes, quanta festinatione opus es-  
set, eum à somno excitare neglexerunt. Chi-  
rurgus igitur ob Sacerdotis absentiam animo  
concidit, &, re infecta, recedit. Cùm autem  
Vicarius tandem expergefactus, Chirurgum aliò  
digressum audiisset, credidit Puerum, reper-  
tum ab eo, sinè dubitatione defunctum: In  
summa negotium implicatur; mortua Mater  
ad sepulchrum unà cum Fœtu, adhuc indu-  
bitatè vivo, desertur, ut ex ventre sese nunc  
attollente, nunc deprimente quædam animad-  
vertit, quæ tamen rem sibi reservans, Pres-  
bytero, funeris Officium celebranti, non ape-

ruit; nec nisi post biennium Parocho revelavit, eum insanabili animi vulnere faucians: Dolebat enim vehementissimè, quod inter tot Infantès à se liberatos, hic miser aliorum incuriâ & stultiâ periisset.

6. Parochus ergo aliis Sacerdotibus, præfertim qui moribundis auxiliari consueverunt, significabit, velle se ad Gravidarum mortem, & quidem præmaturè advocari; monens tamen, quod, si fortè, se absente, Prægnans expiraverit, ad incisionem procedant; ne, ipsum expectando, tempus cum Infantis periculo dilabatur.

In *Catanensi* Edicto, sub excommunicationis poena præcipitur Parochis, ne morientem Gravidam deserant; sed Chirurgis præfentes ad finem usque operationis immineant. Et profectò, tamquam sibi dicta, recogitare debent *Davidica* illa verba, quæ sœpe cordis sui auribus pro Pueris intonari præsentiebat B. *Joseph Calasancius*: *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor.*





## C A P U T I X.

*De Officio Magistratum Ecclesiasticorum  
& Sæcularium, in promovendo Partu  
Cæsareo, cogendisque defunctæ Proquin-  
quis ad illum permittendum.*

1. **C**um certissimum sit, defunctæ Pro-  
pinquos ac Domesticos, ubi incisio-  
nem negligerent, vel prohiberent; peritos  
verò, ubi exequi recusarent, vel different,  
peccare, ac necis Pueri tum temporalis, tum  
æternæ reatum incurrere; [a] Parocho omni  
ope nitendum est, ne mortua ante sectionem  
sepulturæ mandetur: Secùs agens, ubi saltem  
Fœtus potuerat esse vitalis, euidem non vi-  
deo, quomodò irregularitatis pœnâ sit exi-  
mendus; nimirùm propter Infantis mortem  
culpabilem, etsi non intentam, quam ex of-  
ficio, tamquam miserabilium Pater, impedire  
tenebatur. Indè est, quòd in variis *Siculor-  
um* Episcoporum Edictis, contra prædictos  
omnes excommunicationis latæ sententiæ pœ-  
na statuatur.

2. Itaque Parochus, si quando repugnan-

[a] Possevin. *de Offic. Curat. c. 6. de Bapt.*  
*n. 10. Manual. Paroch. par. 2. c. 2. n. 2.*  
*Gobat. de Bapt. tract. 2. c. 8. n. 260. & seq.*

tes offenderit Domesticos, vel Chirurgos, primò Divini Judicii severitatem interminabitur, quo Parvuli quidem, Baptismate non expiati, perpetuo à Cœlesti Patria exilio multabuntur; qui verò eorum perditionis causa quomodolibet extiterint, in tartarum cum apostatis angelis sempiterno igne cruciandi tradentur. Secundò, si pertinaces viderit, ad Episcopum, aliosque Magistratus Ecclesiasticos, aut Sæculares confugiat illicè (nam Sæculares ipsi, arctissima obligatione, ac sub peccato mortali & Syndicatūs censura ad auxiliare brachium impertiendum adstringuntur,) quo tam Conjunctos, quam Chirurgos, atque alios tempestivè compellant. [a] Attamen, quod rei caput est, intreà lustralis aquæ aspersionem, quam *ultimum vale* appellamus, denegabit, ne qui, licet Regulares, cadaver efferre audeant, certè gravissimas pœnas alioquin subituri. *Agrigenti*, Vir Primarius incisioni uxoris obstatbat; verùm Civilis Potestas, cuius brachium Vicarius Capitularius invocaverat, militum probatorum turmam immisit, quæ, circumdatis ædibus, illum coercuit.

3. Deferet autem Parochus ad Episcopum contumaces, non solum, ut hos ille, re integra, omni contentione cogat ad Officium; sed ut pœnis Canonicis puniat, si propter ip-

[a] *L. Negat. DD. de mort. inferend.*

forum obstacula Partus *Cæsareus* omissus fuerit, vel si fortè peractus quidem, sed incassum, Parvulo scilicet propter moram interea defuncto. Infrà indicabimus poenas alicubi statutas, vel quas statuere possit Episcopus; nimirùm spirituale homicidium, Ecclesiæ injuriam, & CHRISTI Sanguinem vindicaturus. Testes porrò sibi rogabit Parochus de diligentia, & exhortationibus à se adhibitis, uti *Gobatus* docuit, ac *Manuale Parochorum*: *Quare, si opus est, auctoritate Magistratus, aut comminatione delationis ad Episcopum, quoquo modo rem urge; hujusmodi diligentiae testes adhibe, ut de praestito tuo officio constet. Multa, inquies, mandas.* Verum est; sed tanti est, *Infanti periclitanti Parochum non defuisse!* Parochi namque in his negligentes, criminali judicio sistendi sunt atque plectendi, tamquam in munere suo enormissimè delinquentes.


4. Et hæc quidem animarum Pastores. Magistratus autem laïci jure communi, à priscis *Romanorum* Regibus emanante, eos, qui Gravidam, non facta priùs excisione, sepe liunt, veluti si Matris simul & Fœtūs essent homicidæ, supplicio addicent: [a] *Spem enim animantis cum Gravida peremisse videntur.* Quam legis profecto sententiam, cæteroquì juri naturali apprimè consonam,

[a] *L. Negat. DD. de mort. inferend.*

Judices, qui parvipendunt, gravissimè peccant.

5. Neque tantum ad Fœtum liberandum, sæculari Potestate Partus *Cæsareus* promovendus est; sed propter alia quòque bona, sìne dubio non contemnenda: Nam (quod animadvertisit *Heisterus*) multum proderit ille, ut Medici, Chirurgi, atque Obstetrices figuram, magnitudinem, & constitutionem inspiciant abdominis & uteri, situm quòque Fœtūs in eo, secundinarum dispositionem, earumque cum utero ipso medio funiculo umbilicali, & placenta connexionem; quæ rationes ad alias Puerperas adjuvandas erunt utilissimæ. *Deventerius* addit, *Cæsareis* incisionibus deprehendi, utrum inepta Obstetricis vel Chirurgi manus, causa fuerit mortis in Parturiente: Quo casu à Magistratibus mulctari possent, aut saltem seriò moneri, ut accuratiùs artem addiscant. Videndi etiam Jurisconsulti, præsertim *Fæltmannus*, [b] ac *Wilduogelius* in celebri dissertatione, quam A. 1716. Jenæ edidit de Jure Embryonum. Quæ tamen ad excutiendam Magistratum & Medicorum, aliorumque, ad quos attinet, recordiam in Partu *Cæsareo* omittendo, scripsit *Heisterus*, aureis litteris mererentur excrivi.

[a] *Fæltmann. de non bumanda Muliere, quae utero gerit. L. de Cadav. inspic.*



## C A P U T X.

*Peritis, cæterisque deficientibus, charitatem urgere quemlibet alium, etiam Sacerdotem, ac maximè Parochum, ad Partus Cæsarei ministracionem.*

I. **E**T si *Cæsareus* viventium Partus peritiam requirat; qui tamen fit in defunctis, cuique facillimus est ad peragendum, & penitus ridiculum esset credere, ad ipsum omnino necessarium esse Chirurgiæ Professorem, vel saltem Barbitonforem, sive Obstetricem: Maxima enim ratio, propter quam illis regulariter utimur, ea est; quia scilicet alii chirurgicam hanc operationem abhorrent: Sed in eorum absentia omnes commodè possent adhiberi: Aliquantulum enim prudentiæ atque solertiæ, tum theoreticæ scientiæ, tum praxis etiam vices facillimè supplerent. \* Igitur quisquis oculum, manum, & novaculam, vel simile aliquod habet instrumentum ( Perito absente, vel fortè nolente ) quamvis usu non edocetus, potest in extrema necessitate incisionem adoriri. At, si potest, charitatis lege tenebitur. Quocircà in casibus his  
Magistratus

\* *Vide in Archetypo l. 2. c. 1. n. 10.*

Magistratus eos cogere debent, quos aptiores huic operationi arbitrabuntur, putà solerterem Virum, vel Mulierem animosam & dexteram. Sanè si publica Auctoritas potest, uti Juristæ omnes monuere, ubi deesset carnifex, (quamvis vel solum hujusmodi nomen naturæ horrificum sit & abominabile) alium compellere, carnificis vicem suppleturum; quanto magis poterunt Magistratus quempiam adigere, qui misericors & honorabile Chirurgi munus adimpleat, ad Infantulum periclitantem à morte temporali & æterna vindicandum? Publicæ tamen Auctoritatis ad ejusmodi finem imploratio Prægnantis mortem præveniat, ne fortè, dum tempus huc, illucque discurrendo dilabitur, Infans interea moriatur, & auxilium evadat serum & inutile.

2. Quòd si obiērit Prægnans, & nemo reperiatur, qui incisionem exequi possit, vel exequi velit, non Chirurgus, non Obstetrix, non Barbitonfor, non alius; quid tum consilii capturus erit Sacerdos, maximè Parochus? Sinetne Fœtum vivum nec baptizatum, cum Matre sepeliri? Tanto erit ille animo, ut æternæ perditioni derelinquat Puerum, suæ charitati & curæ commissum? Ipse, ipse novaculâ armatus incisionem aggrediat. Ita monent Edictum *Catanense* n. 3.<sup>5</sup> & *Agrigentinum* n. 4., [a] quibus con-

M

[a] Ea v. in App. Mon. 5. & 6.

sonat *Van Espen*, [a] cuius verba in Edicto  
*Catanensi* afferuntur.

3. Superfluum fortè vidēri posset, quòd in his Edictis Parochi admoneantur, ne propter scrupulos à facienda per se ipsos incisione desistant. Etenim quis nesciat, si de præcepto non exercendi Chirurgiam sermo sit, illud non obligare in tam extrema & inevitabili animæ corporisque necessitate? Si verò de irregularitate, quam *ex defectu lenitatis* appellamus; hanc non habere locum, nisi in occisionibus, vel mutilationibus vivorum corporum? Nihilominùs prudens atque laudabilis est monitio: Suboriri enim facile poterat hic scrupulus ruralibus saltem Sacerdotibus. Evidem Parochum doctum & zelo præditum novi, qui, Prægnante mortua, cùm Chirurgus non suppeteret, ejusque Vicarius se promptum ad sectionem offerret, hunc à cæsione, metu irregularitatis, absterruit, Fætu interim pereunte. Adeò verum est, in improvisis gravioribusque casibus, plerosque omnes navigantibus tempestate jactatis evadere similes, de quibus scriptum est: [b] *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius; & omnis sapientia eorum devorata est.*

4. Verùm, ne, quod Edictis comprobantibus proposuimus, durum atque indecens

[a] *Van Espen p. 2. tit. 2. de Bapt. c. 4.  
n. 25.*

[b] *Psalm. 106. 27.*

aliquibus fortasse videatur, non abs re erit, id ipsum etiam Theologicis Rationibus illustrare. Sciendum itaque, Doctores docere communiter, onus se in mortis periculum conjiciendi, majus esse onere se alicui molestæ atque gravi temptationi exponendi; eò quod primum insuperabile à nostro libero arbitrio supponatur; secundum verò, ab eodem libero arbitrio, Cœlesti Auxilio roborato, fatis vincibile sit. Quotiescumque igitur ad subeundum etiam mortis periculum Lege Divina tenebimus, à fortiori ad subeundum ingentis temptationis periculum tenēri necesse est. Porrò, obligatio conferendi Baptismum Puerulo, qui in extremis existit, adeò urgentissima creditur, ut plurimi ipsam extendant ad casum, in quo Sacerdos, ut Infantem moribundum in regionibus infidelium baptizet, propriæ occisionis manifesto discrimini subjacere cogeretur. Ita S. Augustinus, [a] Divus Thomas, [b] Bannez, Ochaga, Ledesma, Choninchus. Quam ob rem *Armilla cum Thoma Sanchezio* [c] docet, ut, si Parvulum morientem sum baptizaturus, inimici verò me imperfecturi superveniunt, effugere ad evitandam mortem non possim; quod etiam alii morales Theologi voluere.

M 2

[a] *De Doct. Christ. l. 1. c. 27.*

[b] 2. 2. q. 26. a. 5.

[c] *Armilla V. Defensio n. 3. Thom. Sanchez de Matrim. l. 9. Disp. 20. n. 17.*

5. Fateor, *Joannem Sanchez* [a] opinari, non esse præceptum adire mortis periculum, ut quis Infantem baptizet: At, hoc non obstante, concedit, præceptum ipsum urgere, ubi periculum tantum esset defectionis à fide, propter superiùs allatam scilicet rationem: Primum enim discriminem, humanæ voluntati erit insuperabile; superabile verò secundum. Et hanc doctrinam ampliat, Chirurgum adstringens, ut, nequidem cum peccati periculo à curatione muliebrium verendorum possit excusari. Quod certè notatum dignum existimo: Comprobat enim, eamdem vigere obligationem in ipso ad Obstetricis munus exercendum, ubi necessitas postularet. Imò nequaquam negat *Sanchez*, debitum istud ipsammet vitam contemnendi, ut Parvuli Sacra Lotione abluantur, habere locum in Parochis.

6. Hoc verò temperamentum non placet *Gobato*. [b] Is, quamvis acutam laudet *Sanchezii* differentiam, inter periculum peccati, quod est malum satis ab humano arbitrio evitabile; ac periculum mortis, malum nempe, quod ab eodem arbitrio evitari non potest; nihilominùs censet, non solùm adesse obligationem baptizandi Infantem cum periculo tantum peccandi; sed etiam vitam ipsam pro-

[a] *Joan. Sanchez in Selecta disp. 10. n. 9.*

[b] *Gobat. Tract. 2. de Bapt. casu 7. n.*

fundendi, tum, si baptizaturus ipse ad æternam Parvuli salutem procurandam ex justitia tenetur, ut accidit in Parochis; tum etiam, si solummodo ex charitate, uti contingit in aliis.

7. Ex quibus clarè patet, juxta Theologica Principia quemlibet, à fortiori Sacerdotem, & multò magis Parochum, ad Partum *Cæsareum* defunctorum peragendum obligari. Græca Ecclesia in Catechumenis baptizandis, etiam mulieribus, plures corporis partes inungit. Ritus iste nimis erat durus pio Presbytero *Cononi*: [a] Quarè de baptizandi officio dimitendo seriò cogitavit. Verùm ad ejus animum erigendum, solator adstitit ipsi Divus *Joannes Baptista*, dicens: *Ego te ab hoc bello liberabo*. Cùm tamen, hoc non obstante, ab Ecclesia *Conon* aufugeret, ei denuò CHRISTI Præcursor se visibilem præbuit, & fugam reprehendit. Adeò verum est, eum, qui Divinæ Voluntati obtemperando, ut suo muneri satisfaciat, periculum subit, Dei Omnipotentiam semper & ubique propitiā experiri, cuius tutelâ & auxilio gloriosum de inimicis suis triumphum reportabit; præsertim, ubi non solum necessitas extrema patenter est, sed magnum indè speratur Divinæ Gloriæ incrementum.


8. His, quæ hic olim scripseram, anima-

M 3

[a] *Joan. Mosch. in Vitis SS. PP. apud Eribert. Rosweid. l. 9.*

tus Parochius è *Mazariensi* Diœcesi amicissimus , propter Barbitonforis imperitiam Partum *Cæsareum* nuper ipsem aggressus , Puerum servavit. Sed ne Parochi ad hujusmodi angustias redigantur , exposcit prudenter , ut præmaturè satagant , juxta prædicta , plerosque habere in Parœcia , Operationis *Cæsareæ* peritos ; Obstetrics nimirùm , Barbitonfores , & maximè Chirurgum aliquem sincera præditum charitate , qui ad Parvulorum nonnatorum piam hujusmodi venationem se paratum semper exhibeat. Hunc in ritu baptizandi sedulò erudiant pro eventibus , in quibus Ministri Ecclesiæ præstò esse nequirent ; eumque interea præcipui amoris affectu , omnibusque officiis prosequentur , ac sibi devincent. Præterea , studebunt Parochi , præsertim oppidulorum , ut ipsimet aliquam Partus *Cæsarei* efficiendi notitiam adipiscantur ; neque eam dedignabuntur , aut negligent magnarum urbium Pastores : In his enim , si necessitas est improvisa , difficultius per diem inveniuntur Chirurgi , huc illucque dispersi . Quocircà , periculum est evidens , ne , dum eos circumcursando quæramus , Puer interea sine Baptismo decedat . Habebit etiam animarum Curator pro casibus inopinatis novaculam , quâ uti possit Obstetrix , aut aliis , qui Chirurgi defectum erit suppleturus . Ubi tandem à vera & inevitabili necessitate se adstrictum omnino conspexerit , ne infelicem animulam

in æternum interitum ruere permittat, ipse charitate & fiducia in Deum armatus, in nomine Domini incisionem aggrediatur, dupli mercede pro dupli labore, & extracti, & baptizati Infantis, à Deo remunerandus: Pater verè spiritualis, quia illum CHRISTO regenerat; & corporalis quodammodo Mater, quia videlicet eumdem artificio partu edit in lucem: Quem etiam brevì, si mox ille, uti contingere solet, obiérit, acerrimum in Cœlis habebit advocationem. Profectò, etsi complures fortè ab æterna morte animas eripuerit, de nulla tamen potiori jure valebit in Deo gloriari, verè ministerio suo liberata. Adulti enim, salutaribus actibus ad propriam justificationem coöperantur: Pueris jam natis, non deérunt Sacerdotes pro Parocho baptizantes, ubi laborem ipse refugiat; Sed Infantium, defunctæ Matris utero conclusorum, salus pendet à Parocho, ejusque charitatis est fructus. Si autem S. Jacobus Apostolus pro admirabilium documentoru[m] suorum coronide, ad Epistolæ finem dixit: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus ( id est, propriam juxta græcisimum ) & operiet multitudinem peccatorum;* quid sentiendum erit de Parocho, qui non viam dumtaxat ad Superos demonstrabit Puerο, per quam is propriis, ut ita dicam, pedibus incedat; sed suis ipse manibus in æternæ beatitudinis throno collocabit?



## CAPUT XI. \*

*Utrum incidendæ Prægnantes, graviditate  
incipiente; vel ubi ea solitum tempus.  
excesserit.*

1. **V**erùm, si probabile quidem est, Embryonem primis diebus esse animatum, peccati mortalis damnabimusne Parochum, qui negligeret, Matrem principio graviditatis mortuam, dissecari? Id ex ratione ac verbis *Florentinii* alibi allatis [a] videatur affirmandum: Si enim Parocho satagendum est, ut innumeræ Prægnantes, quarum graviditas in longum processerat, incidentur; quarè illas excipiemus, quæ sub initium graviditatis intereunt? Præterquam quòd, cùm casus iste sit rarus, parum oneris Parocho videtur accedere, si tot Gravidis absque dubio secundis, unam, vel alteram, prægnationis initio deficientem, superaddamus. At nihilominùs respondeo, me in praxi neminem ad Partum Cæsareum sub graviditatis exordiis obligare.

2. Et primò: Quia conceptio usque ad

\* In Arch. c. 8.

[a] Suprà lib. I. c. 6.

quadragesimum diem dubia esse consuēvit, adeò ut in innumeros errores Medici & Obstetrics, ipsis ultrò patentibus, prolabantur: Non enim certum signum, uti *Zacchias* docuit, [a] habēri solet; imò ipsæ mulieres ante mensem, rarò aliquid circa propriam graviditatem indubitanter affirniant; exceptis, quæ pluries illam expertæ sint; & hæ quodque fallibiliter: Non enim prægnationis indicia, cognitu cæteroquì difficillima, semper exactè adnotârunt.

Secundò: Admissa etiam tamquam certa prægnatione, remanet adhuc dubium, utrùm Fœtus animatus fuerit, an non; & utrùm ad animationem necessè sit, esse completum atque perfectum; quod circa quadragesimum diem contingit.

Tertiò: Etiam si supponeremus, primis temporibus animationem fieri, dubium tamen esset, utrùm Genitrice mortua, vivus remanserit adhuc Fœtus: Cùm enim sit adeò tener ac delicatus, facillimè potuit maternum morbum contrahere, illoque, etiam ante Matris obitum, corrupti. Et hæc est causa, propter quam Gravidæ lethaliter infirmæ, præsertim sub his initii, antequam vitâ decedant sæpiissimè abortiant.

Quartò: Primis diebus incertus est etiam locus, ubi Fœtus existit; scilicet, utrùm jam in

uterum descenderit, an adhuc sit in tuba, vel in ovario; ac propterea minùs faciliter invenitur.

Quintò: Dubitandum est, utrùm in gravidatibus infamibus ac occultis, Mulieres incisioni, licet post mortem faciendæ, assentientur: Prudentia autem prohibet, ne morientium conscientiæ laqueos liberiùs injiciamus: Timendum est enim, ne, dum Fœtus animam liberare cupimus, Matris animam incautè perdamus; imò & ejus etiam Propinquorum, qui tot tantisque dubiis perturbati, Parochum odio haberent atque detestarentur. Periculum quoque subefset, ne hac occasione ingentia alia mala subinde provenirent.

3. Porro, si Prægnans ipsa Partum *Cæsareum* spontè mandasset, vel Consanguinei postularent, poterit in praxim sínè aliqua dubitatione deduci, maximè à vigesimo die gravidatis, & ultrà. Optarem verò, ut incisiones primis diebus gravidatis in Nosocomiis fierent, ut ita variis observationibus hujusmodi res pleniùs illustrarentur. Cæterùm, sicuti in Abortibus, conditionato Baptismo liberè utimur favore Fœtuum, quantulùmcumque minimorum, quia nihil indè metuendum esset absurdum; ita, ubi de Partu *Cæsareo* sermo fit, usque quò Deus rei clariorem lucem non affundat, ac aliud Ecclesia non præcipiat, curandæ incisionis obligatio ante quadragesimum diem imponenda non erit.

4. At, si contrà graviditas nonimèstre spa-


ciūm magno intervallo sit prætergressa, non proptereā, mortua Prægnante, Partus *Cæsar*-*reus* omittendus est: Tardè enim quandoque structuram Fœtūs natura molitur. Ipse etiam interdum in utero satīs capaci commorans, aliamento abundans, & ab excrementorum priorum copia non molestatus, egressum suum non solicitat. Medici *Montepessulan*i referunt, grayiditatem aliquando usque ad mensem duodecimum, vel decimum sextum, aut vigesimum quartum protractam. *Schenchius* multa recitat prægnationum exempla, quæ ad menses 13., 15., 23., & 24., imò ad quatuor annos perdurârunt. [a]

*Bouchardus*, & ex eo *Bonetus* narrat, [b] repertum præterito saeculo in ventre Fœtūm mortuum ac penitus incorruptum, post sexdecim gestationis annos. Alium dant memoriae Academiæ Chirurgicæ *Parisienſis*, post quadraginta sex annos incorruptum & integrum. [c] Et quamvis indubitatum sit, nequaquam eos tanto spatio vivos permansisse; attamen, quo tempore verè mortui fuerint, qui tamdiu servari absque corruptione potuerunt, quis umquam diuinabit? Quis naturæ arcana comprehendere se posse, gloriabitur?

[a] *Schench.* t. 2. l. 4. de *Fœtib.* ab ob-  
serv. 155. ad 160.

[b] *Bonet.* *Medic. septentr.* t. 2. l. 4. de  
*Mulier. affect. sect.* 6. *observ.* 10.

[c] *Memor. Acad. Reg. Chirurg.* t. 2, in  
*Hist. Acad.* fol. 2.



## CAPUT XIII. \*

*Abortum procurantes, Partumque Cæsa-reum negligentes vel impedientes, plu-rium nonnumquām homicidiorum reatu fœdari. Monitiones ad Obstetrices & Chirurgos, ut inquirant, utrūm Fœtus sit unus, an multiplex.*

1. **H**eu! quām sēpissimè Rex & Propheta conqueritur: *Delicta quis in-telligit?* Quot enim & quanta sēpe in uno facinore sunt scelera! sanè, qui Abortum procuravit, vel incisionem defunctæ Prægnantis neglexit, vel prohibuit, non nisi uni Parvulo se nocuisse arbitratur; cùm tamen, si fortè multiplex erat proles, pluribus reipsa mortem intulerit. Idem, ex S. Augustini doctrina [a] judicandum de iis, qui conceptionem præpediunt: *Mulier autem quæ-cumque fecerit hoc, per quod jam non pos-sit concipere, quantoscumque parere pote-rat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat.* Virile semen, vel ejus quandoque aura, fœminea ova fœcundat, quotque ex illis invenerit matura, totidem fœcundatione

\* In Arch. c. 17.

[a] S. Aug. Serm. 224. de temp.

complebit, totidemque Fœtus propterea germinabunt. Cùm igitur in unoquoque duorum dydimorum, ex quibus muliebre constat ovarium, nunc duodecim, nunc viginti, nunc triginta ova servari soleant; si duo ex illis fœcundationem sortiantur, Gemelli nascentur; si tria, tergemini; &c. Insuper, si bina fortè ova sub iisdem existant pelliculis, communibus quoque sub secundinis Fœtus ipsi necessariò formabuntur: Si singula tamen ova proprias habeant pelliculas, uti regulariter fit, Gemellorum quisque propriis certè membranis continebitur: Succrescentes enim pelliculae in membranas evadunt. His ita positis,

2. Fœtuum multiplicitas, ut plurimum conspicitur in Abortivis, cum difficilius natura Fœtus ipsos ad perfectionem perducat, ubi sint plures. Prisci non minùs ac recentiores infinita narrant exempla Abortuum numerosorum. *Plinius*, uni duodecim tribuit Infantulos; *Faber*, alteri septem; *Borellus*, octo; [a] *Peredia*, novem; *Albucasis*, quindecim; *Avicenna*, uni viginti duos, alteri septuaginta; *Bonaccioli* tandem, septuaginta sex. Imò, ut *Albertus* aliquique tradiderunt, Matrona nobilis Fœtus 150. semel effudit secundinulis inclusos. Hi primò pro vermibus habiti; at,

[a] *Joan. Fab. in Not. ad Hist. Mexic.*  
*Pag. 475. Borel. Observ. Medic. cent. 2. Pered. in Schol. ad Paschal. l. 1. c. 19. Bonaccioli. in Ennead. Mulieb.*

cùm Medicus advenisset, ruptis ad investigandum membranulis, homunculos reverà fuisse compertum est, quorum multi vivebant adhuc, Baptisimi proinde capaces.

3. Cæterùm, non tantùm in Abortu, sed nonnumquam etiam in legitimo partu, congruo nimirùm tempore contingente, potest Fœtuum multiplicitas observari. Non oportet hic immorari in Gemellis, cùm sint quotidiani. Verumtamen prætermittendum non est in hoc genere, quod *Clauderus*, & ex illo *Bonetus* [a] enarrat. *Retzgendorphii* prope *Naumburgum* A. 1672. Pistrinarii uxor difficillimo partu fæmellam edidit, quæ post octo dies magnis contorsionibus & ejulatibus circumstantes adegit, ut ipsius fasces dissolverent. His apertis, puellam cernunt aliam puellulam, digito nostro medio parem, cum suis planè secundinulis, consuetisque lochiis emisisse, quæ, Baptismate suscepto, postridie simul cum altera grandiori, defuncta est. Quod quidem non historicum factum, sed commentitium videretur, si emunctæ naris viri, ut *Bartholinus* & *Deusingius*, [b] nullo modo fabularum bibuli, tamquam verum non crederent, & variis experimentis possibile esse non confirmarent.

4. Quod verò ad tergeminos; ii rari non

[a] Bonet. t. 2. in *Analect. ad sect. 9. l. 4.*

[b] Bartholin. *Cent. 6. hist. Anatom. observ. 100. idem de insol. part. c. 16.*

funt: Nam tres *Horatii*, totidemque *Curiatii* ad hanc speciem, teste *Livio*, pertinebant. *Panormi* A. 1655. tergemini uno partu per venerunt. Unus senem capillis albis, alter juvenem, tertius æthiopem referebat, quales Magos, CHRISTI Adoratores, pingi mos est. [a] Idem omnino A. 1749. contigit ibidem, Parvulis baptizatis non multò pōst morientibus.

5. At ista procul dubio minora sunt. Infinitos partus valde numerosos perhibent *Plinius*, *Aulus Gellius*, *Paulus Diaconus*, *Sigibertus*, *Tertullianus*. Verūm venio ad exempla recentiora, præsertim indigena. *Carra Lombardo*, *Erice* 15. Julii 1613. quatuor peperit: Alia similiter, *Mylis* A. 1710. tres fæmellas & marem. *Messanæ* circa finem sæculi superioris, *Marcus Antonius Troja*, vir patritius, septem unā sortitus est filios, qui deinde uxores & filios habuerunt. Ibidem A. 1442., *Ranzano* teste, mulier novem edidit mares. Cæterūm, similia de aliarum regionum partubus apud *Schenchium*, *Bartholinum*, *Schottum*, *Bonetum*, [b] aliosque perlegere poteris.

6. Nunc de superfœtatione breviter. Eas nonnulli negant: [c] Nam, prima supposita

[a] Mongit. *Sicil. Ricerc.*

[b] Schott. *Physic. Curs. I. 3. c. 29. §.*

I. Bonet. *Medic. septent. t. 2. l. 4. sect. 4. observ. 3., 4., 5.*

[c] S. Aug. *de Civ. Dei* l. 5. c. 6. Valverde *Anat.* l. 3. c. 14.

graviditate, clauditur uterus, & clausus ad partum usque perseverat: Quam ob rem putant, secundum Puerum, qui, tertio putà mense post primum puerperium exoritur, esse primò-nati Pueri Gemellum, tardiori verò naturæ opere ad perfectionem adductum. Communiter tamen Medici rigorosas etiam superfœtationes admittunt. Ad rationem autem contrariam, satis firmæ responsiones tum in *Hippocrate*, tum in *Zacchia* [a], tum in aliis inveniuntur, quas hic examinare non vacat: Sufficit enim ad intentum nostrum, saepe contingere, quod, uno Fœtu jam nato, alius remaneat in utero maturandus, & post mensem alterum, imò duos, vel etiam tres nasciturus. Ego ipse Matronam insigni loco scio, quæ quinto post primum partum mense pepererat. Quod quidem epidemicè aliquando, ut & monstrorum generationem, evenire tradit *Schenchius*. [b]

7. Nonnumquam, priori Fœtu verè mortuo, ejusque cadavere manente in utero, Matres denuò conceperunt, cuiusmodi exempla dant *Albucasis* & *Primerosius*; [c] aliud verò illustrius *Harveus*, [d] in quo Fœtus tempore

[a] Hipp. L. de Superfæt. Zacch. Q. Medicoleg. t. 1. l. 1. tit. 3. q. 3. n. 18. & seq.

[b] Schench. t. 2. l. 4. de Fœtu observ. 127.

[c] Albucaf. L. 2. Chirurg. c. 76. Primeros. de Morb. Mulier. l. 4. c. 7. cum observ. Mainald.

[d] Harveus. Exercitat. de Partu.

tempore debito vivus editus est; tria huic similia *Schenchius*: [a] Primum, de vacca; secundum, de muliere; tertium, item de muliere, quæ bis, vel ter, quamvis Parvulo jam demortuo & retento, conceperat, vivosque deinde posteriores Infantes emiserat.

8. Cùm ergo conceptus, juxta prædicta, possit esse duplex, vel etiam numerosior, necesse est, sequentia animadverti à Parochis aliisque Sacerdotibus, populo pro re nata tradenda.

Primò: Abortum procurantes, vel Partum *Cæsareum* impedientes, imò etiam tantùm negligentes, plurim nonnumquam homicidiorum, tam respectu animarum, quàm corporum, rei sunt procul dubio judicandi.

9. Secundò: In Abortu Familiares de Baptismate Infantи collato planè contenti, non ampliùs perscrutantur, quid Mater effundere prosequatur. Neglectus autem iste valde periculosus est: Poterit enim in ejectamentis liquis jacere Gemellus, vel superfœtationis Embryo, tantò faciliùs eorum oculos fugiens, quantò mole minutior.

10. Tertiò: In Partu *Cæsareo* Chirurgus præmonendus est, ut, dum Parochus baptizabit Infantem, perquirat ipse, utrum aliquis ortè in utero lateat, Gemellus nimirùm, vel

## N


[a] Schench. t. 2. l. 4. de Fæt. observat.  
73., 174., 183.

ex superfœtatione. Id verò præstabit Chirurgus diligenter, non solùm in extracti jam Pueri secundinis, sed & per totum uterum: Gemelli enim ipsi regulariter sub diversis membranulis procreantur.

11. Quartò: Monendæ sunt Obstetrics, ut post naturalem etiam partum, juxta Schenckii monitionem, cautè Puerperam fasciâ constringant, eam priùs interrogantes, utrùm aliquod pondus in ventre sentiat, ne fortè aliis remanserit Fœtus, & detrimentum accipiat.


12. Hæc omnia porrò documenta conferunt maximè tum in locis, ubi partus multiplices passim, tum ubi rariùs observantur. In primis quidem, quia frequentioris certè sunt usûs; in aliis verò, quia magis necessaria: Ubi enim periculum est infrequens, dimissis per incuriam cautelis, posteriorum Fœtuum ruina faciliùs permitteretur.





## LIBER III.

De Officio à Parochis aliisque exercendo,  
respectu Infantum in partu difficulti  
& desperato.



## CAPUT I.

*De Partu difficulti & Cæsareo Gravi-  
darum viventium.*

Ec raro quidem, nec difficul-  
ter eveniet, navem, expleto  
jam penitus itinere, in ipso por-  
tus ingressu allidi ad scopulos,  
atque ibi reperire naufragium, ubi quietem  
securitatemque sperabat. Infortunium vero  
nimis facile & frequens est nonnatis Infantu-  
lis, post emensum jam prosperè tempus for-  
mationis & corroborationis in utero, cùm  
deinde in lucem nituntur egredi, propter in-  
superabile aliquod nascendi obstaculum, pro-

2. Profectò maturus Infans, sive ob alimenti defectum, ut quidam voluere; sive ob excrementorum copiam, ut alii; sive ob necessitatem, quâ premi incipit, aëris amplioris motu valido, & calcitratu, Matre quòque impulsu suo obsecundante, extra maternum claustrum prosilire conatur. Id autem non numquàm suis tantùm viribus, ac sinè externis auxiliis ægerrimè consequi valet. Propterea ante omnia valde prodest, parturientem locare in scamno, seu sede partui deputata. Verùm hæc sæpe desideratur in pagis; quo circà non leve opus esset misericordiæ, si Parochus huic commoditati provideret, vel, ut alii provideant, procuraret: Quod quidam Parochorum primam hujus Operis editionem legentes præstiterunt. In ejus autem defectu, præcipit *Heisterus*, duas invicem vulgares commodaisque sedes funiculis uniri, spatio inter easdem sex, vel octo pollicum relicto.

In *Germania* apud rusticos & plébejos, deficiente scamno, Parturiens in sinu alterius robustæ mulieris, in sede ordinaria sedentis, eamque complectentis, sedere consuēvit. [a]

3. Verùm hic animadvertendum est, in oppidulis, imò & in civitatibus, persæpe Obstetrics non institutas nihil magis igno-

[a] *Heist.* p. 2. *sect.* 3. c. 141.

rare, quām artem obstetricariam; ne dicam, nonnullas perdendis potius, quām juvandis ad ortum Infantibus vidēri destinatas: Tanta est earum socordia atque inclemētia. Hæc sanè ut plurimū ab imperitia; quandoque verò à nefaria malignitate procedunt, quā & Parvulos, non collato Baptisimā, & Matres ipsas crudelissimè interdum occiderunt. Aliqui quidem populi, etiam è cultioribus, ut *Itali, Galli, Germani*, Chirurgis ad obstetricandi officium utuntur, quod aliquando, me suadente, *Palmæ* similiter factum est. Verū, etsi quandoque id omnino necessarium, ac proptereà laudandum sit; præstaret nihilominus, & valde decentius esset, si mulieres Obstetrices, juxta clarissimi *Ludovici Muratorii* monitum, [æ] à Chirурgo, artis obstetriciæ gnaro Præceptore, speciatim à Magistratibus designato, exactissimè edoceantur; quo munus suum exultiori arte, ac feliciori eventu exequi possent. Plurima certè

Medicis ad partum remedia præscribuntur. Notandum tamen (ut in *Sicilia* multoties istum est) aquam gelidam affatim assumptam

Parturiente, præsertim quæ nive ad vivam carnem circumsepta sit, partum ferè infallibiliter extricare.

4. Cùm his tamen auxiliis omnibus Mulier interdum parere nequit; vel ob culpam

N 3

[æ] *Murat. Della publica felicit. c. II.*

ex parte vel parturientis Matris, vel Fætūs, vel Obstetricis latentem; vel ob Infantis crassitudinem; vel ob canalis angustiam; vel ob ossis femoralis luxationem erga internam uteri partem, osse scilicet uterum comprimente: Præsertim verò sæpiissimè, ex mala ossium pubis, & ilii conformatioне; insuper ob cicatricem, cancrum, vel gangrænam: Item ob vitiosum tumorem, phimosis, callum, lúpiam, Scyrrhum, lapidem, molam carneam, ac similes denique præter naturam concretiones: Quæ impedimenta omnia communiter tum à veteribus, tum à recentioribus describuntur. [a] Medici quidem in partu difficulti ad orificium superius inferiusque, vaginamque uteri dilatanda, instrumentum adhibere solent, quod *Speculum Matricis* appellant: Et Prægnans, ubi felix exitus indè speraretur, sub gravi chirurgicam istam dilatationem sustinere teneretur. *Heisterus* tamen [b] eam non semper utilem reputat, & nonnumquam propter læsionem, quam utero inferre potest, periculosam.

Celebratur meritò in his circumstantiis instrumentum ad Infantem vivum extrahendum, dictum *Capitis Trætor*, vulgò *Tiratæsta*. Illud *Palpinus*, *Gandavensis Chirur-*

[a] *Hi sunt* Moschio, Avicenna, Theodus Priscianus, Achachias, Harveus, Claudius de la Corvée, Bartholinus, *aliique*.

[b] *Heist. p. 2. sect. 5. c. 153. n. 10.*

gus, excogitavit: At, cùm exitus voto non responderet, *Gregorius Parisiensis* in meliorem formam deinde redegit, ac eo ultra septuaginta Fœtus viventes extraxit.\*

5. Si verò neque istud proderit instrumentum, ut in mala ossium conformatio-ne; quo fas, notante *Bartholino*, [a] inutile quaque speculum matricis Chirurgi experiuntur; profectò Infantì evidens mortis periculum impendet. Nam, præterquam quòd ex alienanti diminutione, ac inutilibus egrediendi rationibus in magnam incidit debilitatem; accedit violenta cordis aestuatio: Cùm autem hoc præcipuum vitæ organum nequeat refrigerari, Parvulus parvo negotio veluti suffocatur.

Ne ergo in desperato partu Infantuli pe-reant, Medici viventis Gravidæ incisionem proponere consuēverunt, quæ, quamvis Mari valde periculosa, nihilominus semper ad Filiolum servandum, saltem ne sinè Baptismo recedat, sæpe etiam ad ipsam Matrem ab insubitata morte liberandam, erit necessaria. Omnes fere veteres ab hac operatione abhorrebant, quòd ipsis parum faustè contingere: Scribit enim *Alexander Massaria*, e tres vidisse incidi mulieres, quæ omnes morti succubuerunt. Major propterea Theo-

N 4

\* *Hujus instrumenti figuram descriptam vide in Archetypo n. 4.*

[a] *Barthol. de insol. Part. c. 3.*

logorum pars cum *Soto*, *Sa*, *Zambrano*, & *Raguccio*, Lucernæ Parochorum Auctore, Prægnantes ab ea sectione excusabant. Et reverè, si supponamus, Gravidæ mortem indè certò, vel quasi certò consecuturam, idem esset illam incidere, ac barbarum in morem occidere; quod nulla prorsùs ratione sub quocumque prætextu, vel honestissimo fine licebit: *Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

6. Cæterū, sicuti Mater, ubi de sectione ad ipsius tantūm favorem instituenda sermo est, Puero scilicet jam demortuo in utero, numquam ad eam ferendam compelli debet, quamvis vitam indè sibi-met-ipsi sperare posset, cùm remedium istud & sævum sit, & extraordinarium; ità à majorum Theologorum recentiorum numero ad eamdem sectionem adstringitur, ubi de procuranda vita spirituali Fœtūs agatur, quoniam hodierna Chirurgorum peritia, & Matrem simul & Fœtum liberari posse, patefecit: Excepto casu, quo illa propter virium debilitatem, ac malivim, incisioni sustinendæ sit impar. Hoc autem ex particularibus circumstantiis pendet, quarum judicium spectat ad Medicos. \*

7. Sectionis hujus Inventor, aut saltem nostris hisce sæculis Restitutor (non enim desunt, à quibus antiquissima conjectetur)

\* *Vide infrā c. 4.*

fuit *Jacobus Nufer*, in oppido *Steigersbo-*  
*ven* in *Turgravia Castrator* suūm, qui A.  
1500., cùm Uxorem *Elisabetham Alephab-*  
*chin* ex impossibili partu jamjam obituram  
agnosceret, petita à Magistratu veniâ, etsi  
*Chirurgiæ* inexpertus, illius incisionem ag-  
gressus est: Et, quamvis vulnus ita profun-  
dum aperuerit, ut ad primum iectum Infan-  
tem eduxerit, vulnusque ipsum malè deinde  
consuerit; his non obstantibus, mulier dis-  
fecta convaluit, nec fœcunditatem amisit:  
Duos enim posteà Gemellos peperit, quos  
alii singillatim quatuor secuti sunt; nec nisi  
sexagenaria deceffit. Refert hæc *Bauhinus*  
in Historia Hysterotomachiaæ.

8. Felix hic eventus alios nequaquam dis-  
similes post se traxit: Quocircà hujus opera-  
tionis utilitas atque necessitas inter Medicos  
ventilari cœpit, probantibus aliis, & in prax-  
i m deducentibus; aliis tamen magna con-  
tentione reprobantibus. E reprobantium nu-  
mero fuit olim *Ambrosius Paræus*, qui,  
tametsi operationem à Chirурgo *Vincentio*  
in *Nicoletta Beranger* A. 1552. peractam,  
faustè contigisse, negare ausus non fuerit;  
nihilominus Matribus, ubi evaderent, steri-  
litatem saltem augurabatur: [a] Quod etiam  
*Castrus*, *Vionius*, *Varandæus*, aliique ar-  
bitrati sunt.

[a] *Paræus l. 23. c. 31.*

9. Porrò *Franciscus Rousselus* primus eam operationem verè illustravit: Etenim, postquam *Paræus* scripsisset, celeberrimum illud A. 1581. gallicè edidit Opus, cui titulus: *Tractatus novus de Hysterotomachia, seu Partu Cæsareo, seu Extractione Infantis per incisionem lateralem ventris, & uteri Mulieris gravidæ, ubi aliter parere negqueat; & hoc absque præjudicio utriusque, & sinè impedimento fœcunditatis Matris in posterum. Parisiis A. 1581.*; & omnia in eo certissimis experimentis adstruxit. Ejusdem Tractatūs, hodiè sanè rari, compendium habes apud *Scultetum*. [a] *Paræus Rousselii Librum* ingenuè probavit, ita illi subscribens: *Ego Ambrosius Paræus testor quæ suprà; nec exinde amplius Partum Cæsareum impugnasse visus est. Anno sequenti 1582. Gaspar Baubinus Rousselii Volumen in Latinum vertit, aliisque exemplis communivit.*

10. Verùm, interea *Rousselii Librum* damnabat *Jacobus Marchantius*, cui cùm ille semel atque iterùm respondisset, Opusque suum novis rationibus, & aliis exemplis adauxisset, \* tandem profundiores egit illius doctrina radices: *Veritas enim omnia vincit.*

[a] *Scult. in Exposit. Tab. seu Armamentario Chirurgico de Partu Cæsareo, quæ in Edit. Francofurt. est 42. in Amstelodam. a. 1. est 12.*

\* *V. Arch. n. 10., 11., 12.*

Quapropter *Theophili Raynaudi* ætate circa Annum 1637. communis erat Medicis & Chirurgis. [a] *Raynaudus* tamen aliis experimentis *Rouffeti* sententiam confirmavit. Ac primò, de Matre *Jacobi Bituricensis* ex Ordine Minimorum, qui *Raynaudo* narraverat, se quintum esse de Filiis cæsonibus ejusdem, quæ *Brunetto* celebri Chirурgo, soporiferis anteà propinatis dolorem alleviante, utebatur. Secundò, de Muliere *Flexiense* prope *Andegavum* tertio incisa. In his autem, non secùs ac in præcedentibus, Fœtus incolumes educti, ac salvæ Puerperæ. Incivile itaque ac temerarium dicit, de tot factis ambigere; & veteres Medicos, tamquam timidos inexpertosque, fugillat. Quid autem *Raynaudus* dicturus fuisset, si sequentia experimenta novisset? Nam ex *Tensilio Olaus Rubdechius*, celeberrimus in *Suecia* Medicus, propriam Uxorem incidit. *Bartholinus* ait, se *Parisiis* degente, idem quinques in Conjuge præstitisse Chirurgum alium. *Roonbusius* tradit, *Songium*, Medicum *Brugensem*, septies eodem remedio Uxorem liberasse. *Gobat* [b] Matronam addit, bis, non à Chirурgo, sed à mera Obstetricie prope A. 1670. eodem auxilio liberatam. *Jobertus*

[a] *Raynaud.* *Oper. t. 14. l. de Ort. Infant. per Sect. Cæf.*

[b] *Gobat. t. 1. tract. 2. de Bapt. casu 8. in Append. post. num. 259. litt. D.*

[*a*] aliam bis etiam dissectam in castro Thierri. Alteram dat *Cyprianus* [*b*] dicens, se illi abdomen ac tubam secuisse. Innumeri *Cæsarei* Partus hic subnecti possent, suppeditati à *Ruleau*, *Mizaldo*, *Schenchio*, *Saviardo*, *Vatero*, *La Motte*, *Lanchischio*, & aliis, qui, non secùs ac suprà recensiti, omnes etiam faustè cesserunt; quām plurimis quōque ex hujusmodi mulieribus post sectionem iterum, ac sæpiùs parientibus. Quocircà præter citatos, ac præsertim *Ruleau*, qui copiosè Partum *Cæsareum* viventium defendit, eidē patrocinantur *Acta Eruditorum Lipsiæ*, ac *Ephimerides Naturæ Curiosorum*: Prætereà *Duvallius*, *Veicardus*, *Marinellus*, *Ronchinus*, *Hildanus*, *Breslevischius*, *Riedlinus*, *Horstius*, *Camerarius*, *Albertus*, *Fienus*, *Scultetus*, *Rullonius*, *Teichmejerius*, *Goveus*, *Welschius*, *Heisterus*, & nuperrimè *Winslowius*, qui probat, usum ferramentorum uncinatorum, cum chirurgica ista operatione collatum, neque respectu Matris minùs esse pericolosum, neque respectu Filii æquè innocentem.

II. Verùm superioribus exemplis novissima aliqua, etiam felicissima, congeramus, multiplicibus ac certissimis documentis, interdum publicis, communita, & à *Simonio*

[*a*] *Le Journal des Scavans*.

[*b*] *Cyprianus in Epistol. ad Millington.*  
*A. 1700.*

nemoriis Regiæ Academiæ Chirurgicæ *Parisiensis* inserta, in quorum pluribus etiam fœcunditas post *Cæsareum* Partum illæsa permanensit. Mulieres quidem incisæ fuerunt sequentes.

Prima ex istis, *Magdalena Gordain*, quæ deinde quatuor alios peperit Filios.

Secunda ponitur alia, bis ex testimonio *Amiralis & Peyroniae* dissecta.

Tertia, quarta, & quinta unius *Chirurgi Thise* peritiâ liberatæ: Quarum prima plures; tres verò tertia post sectionem Filios edidit.


Sexta, *Maria La Roche*, à Chirurgo *Brou* è mortis faucibus erepta. \*

i2. Ex quibus demonstratur omnino, utilem esse *Cæsareum* viventium Partum, atque vanum fuisse nonnullorum timorem, ne Mater incisa fœcunditatem saltem amitteret: Evidens enim est, Mulieres post Partum *Cæsareum* & concipere, & parere solitas. [b] Non injuriâ ergo *Siciliæ* Proto-medicus perpetuo Edicto sancivit, ne in posterum Chirurgi ad exercendam artem, nisi priùs de naviter administrando in viventibus Partu *Cæsareo* sedulò examinati, admitterentur. \*

\* Alias quam plurimas vide in *Archetypo hoc loco*.

[b] Roussel. de *Partu Cæs.* sect. 7. Duvall. de *Hermaph.* c. 24. Raynaud. loco cit.

\* V. in *Append. Archetypi mon.* 5.



## C A P U T I I.

*In Cæsareo viventium Partu non solum  
Abdomen; sed & Uterum feliciter  
incidi solitum.*

1. **Q**UAMVIS hodie Medicinæ scriptores *Cæsaream Incisionem* communi voce collaudent in partu desperato; eam nuper ex parte oppugnare nisus est *Joannes Baptista Bianchius*, in suo elegantissimo & peregrino *de naturali, vitiosa & morbosa Generatione Tractatu*. Gloriatur ille, se rem tanti momenti, præcedentium Medicorum hallucinationes detegendo, in claram lucem protulisse. Quæ autem ille fusiùs prosecutus est, ego hic in epitomem redigam, posteriùs discutienda.

2. Sciendum est ergo, ait *Bianchius*, Medicorum veteres, qui muliebre ovarium penitus ignorârunt, omnes generationes in utero tantùm fieri credidisse, ubi mixtionem utriusque seminis, masculini & fœminini, contingere judicabant; verùm id post ovarii tubarumque *Fallopianarum* inventiones, illustrata jam Anatomiâ, falsum demonstrari: Dantur enim binæ generationis species, naturalis una, quæ sit in utero, descendente scilicet in

ipsum per tubas ovo, jam anteà fœcundato in ovario; alia vitiosa, quæ fit extra uterum.

3. Posita tali generationum diversitate, permonet *Bianchius*, incisionem competere aliquando, si conceptio fuerit vitiosa, nimirum in ventre: Quocircà vel solum abdomen, vel saltem cum abdomine sola ovarii tunica, vel sola extremitas tubæ secandæ sunt: Nequam verò competere, si conceptio fuerit naturalis, quando scilicet Fœtus in utero exceptus, ibidem creverit; quia tunc incidendus esset uterus ipse. Porro hic innumerabilibus intertextitur venis, quarum plures ultimis prægnationis mensibus crassitie scriptoriis pennis æquales, magna sanguinis copiâ turgent. Venis præterea magnitudine similes arteriæ quartuor in utero numerantur; nimirum duæ spermaticæ, totidemque hypogastricæ: Ita ut impossibile sit, incisione semel facta, non indè protinus oriri insuperabilem sanguinis hæmorrhagiam, convulsiones, aliaque atrocissima symptomata, mortem denique Gravidarum: Quæ causa fuit, ut universi post *Celsum Medicum*, uteri vulnera mortalia conclamaverint.

4. Districtè autem in plerosque Partus Cœsareos, ab auctoribus allatos, inquirit, aitque, hos vel facta referre, quorum ipsi testes oculati nequaquam fuerunt, & ideo non satis probare, conceptionem fuisse naturalem, & consequenter cœsum reverà uterum; vel, si apertè incisi uteri meminerint, hoc non

sinè Matris morte contigisse. Imò ex quibusdam circumstantiis, quas ille subtilius expendit in casibus, ubi à morte Mater evaserat, adstruere nititur, in his nullatenus uterum, sed solum abdomen fuisse dissectum. Arbitratur igitur, Medicos ex æquivocis relationibus tandem ad Partus *Cæsareos* viventium audaciores factos, nec attendentes diversitatem inter conceptus ventrales & uterinios, falsò credidisse, uterum reverà vulneratum, seque demonstrasse, quòd faustum felixque sit, contra veterum documenta & præjudicia, posse illum impunè discindi.

5. At, quamquam eruditissimi Viri argumentatio primo intuitu speciosa, & plausibilis videatur, evertere nihilominus nequit commune sententiam in solidissima experientia fundatam, cùm hæc in physicis cuicunque ratiocinio sit semper anteferenda; neque ei satis ille respondet, utì jamjam sole clariùs ostendemus.

6. \* Ante omnia monendum censeo, me non diffiteri, plerasque incisiones, à Medicis enarratas, fuisse tantùm ventrales; itemque de aliquibus non admodùm constare, utrùm fuerint reverà uterinæ. Id solum contendō, sæpe etiam certò ac feliciter sectum uterum, contrà quām *Bianchius* opinatus est. [a]

7. Sanè,

\* In Arch. c. 3.

[a] Bianch. de vitios. Generat. pag. 198.

7. Sanè, *Francisco Rousselot* consulente,  
 [a] dissecta fuit, ut ipse narrat, *Bernardina Arnolda* à tonsore. Hic, postquam abdomen & peritonæum secuisset, *uterum separatim ncidit*, facto satis magno vulnere, quo Fœtui viventi, uti & secundinæ, facilis per vulnus pateret exitus.

De *Nicoletta Beranger* clarè item asse-  
 ìt, sectum ipsi fuisse uterum; sed non con-  
 útum.

Ex eodem: *Joanna Michel A. 1578.* In-  
 antem mortuum gerebat in utero, cuius ma-  
 um Chirurgus præcidit: Postea, quia totum  
 ducere non valebat, Prægnantem dissecuit:  
 Cùm autem uteri vulnus angustum fecisset,  
 am valde in extractione Fœtus divexavit;  
 uæ tamen saluti nihilominus restituta, bis  
 einde concepit.

Verùm *Rousselotum* dimittamus. Omnia  
 men durissimum videtur, tot alias Chirur-  
 os ac Medicos, qui toties inciderunt, vel  
 incisioni interfuerunt, omnes ad unum ante  
*Bianchium* per duo integra sæcula cum di-  
 nido cæcutientes, numquam animadvertisse,  
 abdomen solùm, non tamen uterum fuisse  
 issectum; cùm apertè contrarium referant,  
 nondumque multi præscribant, quo uteris  
 im cæsus denuò sit consuendus. Tanta eorum

## O

[a] *Bianch. de vitios. Generat. pag. 198.*  
 [b] *Rousselot. de Partu Cæsar. cap. 5.*

Stupiditas profectò neque veniam, neque commiserationem mereretur. Juvat autem aliqua hic experimenta ab aliis Auctorisbus excerpta, perpendere, ne ullum clarissimo *Bianchio* effugium relinquamus.

8. Chirurgus circumforaneus A. 1540., *Schench*io teste, [a] in castro *Pomponisch*i mulierem secuit. Duos illa gestabat Fœtus, mortuum unum, qui Matrem valde torquebat; viventem alterum. Chirurgus abdomen primò, deinde peritonæum, tertìò uterum discidit, mortui cadavere duxit, viventem Fœtum reliquit, uterumque expurgavit. Gravida tamen convaluit, ac stato tempore vivum Infantulum peperit. Si ergo Fœtus illi non in utero, sed in abdomine sedem fixerant, quomodo, qui reliquus fuerat, nasci sinè nova sectione abdominis potuisset?

*Saviardus* narrat Prægnantem A. 1692. mortuam atque dissectam, quæ, quod ante annos quatuordecim Partum Cæsareum passa fuerat, adhuc in utero antiqui vulneris cicatricem ostendebat.

9. Infans, *La Motte* referente, brachium ad orificium Obstetrici præsentaverat, quæ brachium discerpsit; ex quo patet, Infantem fuisse in utero: Chirurgus deinde Prægnantem secuit, nec ultrà eam invisit, cùm aliqua tantum remedia Marito reliquistet, ut ipse

[a] *Schench.* tom. 2. l. 4. de Fœt. observ. 174.

Conjugi mederetur. Infirma nihilominus pene  
olius naturae adjutorio evasit incolumis. \*

10. At, inquit *Bianchius*, uteri vulnus  
ethale judicandum. Tale profecto esset, ut  
omnia aliorum viscerum vulnera, in quibus  
& partes dissectae difficultius à sola natura cu-  
rantur, & à Chirurgo tractari, balsamisque  
iniri & purgari non possunt. Sed in Partu  
*Cæsareo* non ita: Nam & uterus jam disco-  
pertos tractari valet, & crux abstergi, &  
balsama immitti, incisæque partes mutuo ad  
compactionem commodissime aptari.

11. Non inficiar quidem, tempore partui  
vicino, uteri arterias atque venas fieri tumi-  
diiores, & sanguine pleniores; at is virtute  
illa præstat, quâ cætera carent viscera: Fœtu  
enim ablato, suðpte ingenio contrahitur, &  
in modicam figuram redigitur, quod ad par-  
tes iterum unijendas egregiè conductit. Quod  
si sub initiis, nimirum antequam natura ute-  
rum constringat, aliquantò copiosior obtin-  
gat hæmorrhagia; Medicus ob terriculamenta  
ista ne concidat animo, cum novum non sit,  
in partibus ipsis naturalibus, Puerperas enor-  
missimos sanguinis fluxus & pati, & superare.

12. Cæterum, uteri vulnus, imò & ampu-  
tationem ex se non esse omnino mortiferam,

## O 2

\* Plura ejusmodi experimenta dat Arck.  
ap. 3. n. 6. &c.

*Celsus* atque *Galenus* [a] docuere; ac variis exemplis, ad Partum *Cæsareum* non pertinentibus, & *Bianchii* non suspectis, dilucidè confirmatur. *Fernelius*, [b] oculatus testis, Puerperas perhibet incolumes, quamquam, propter immanes parturiendi conatus, matricem integrum à corpore divulsam ejecerint. Infans, *Hollero* observatore, [c] die ante Partum decimo quinto, lacerato à se Genitricis utero, ex materno umbilico brachium emiserat; deinde tamen via naturali, Puerperâ salva, est egressus. Ex quo patentissimè liquet, eum nec in ovario, nec in tuba, nec in abdomen germinasse.

Præterea, si *Langio*, [d] oculato itidem testi, fidem tribuimus, *Andreas Rempterus* Uxoris ventrem adeò profundo vulnere confederat, ut etiam Puerum ipsum sauciârit: Hic autem propterea mortuus, viâ ordinaria tandem exivit, ejusque vulnus adhuc in dextera calvariæ parte, quæ callosa erat, usque ad sinistri oculi supercilium cernebatur; nec tamen Mater interiit.

*Rungius*, *Bremensium Chirurgus*, *Heistero* [e] narravit, se Fœtum per solitam nas-

[a] *Celsus* l. 5. c. 26. *Galen.* in 6. de loco affect.

[b] *Fernel.* l. 3. *Physiol.* c. 11.

[c] *Holler.* l. 1. *de Morb. inter.* sub fin.

[d] *Lang.* l. 2. *Epist.* 23. c. 41.

[e] *Heist.* part. 2. sect. 5. cap. 113. n. 14.

cendi viam eduxisse, qui anteā matricem disciderat: At, quamvis ille per rupturam uteri intestina mulieris manu perspicue tetigerit, eaque aliquamdiu represserit, ne in uterum irruerent, donec hic se multūm constringeret; ægra tamen feliciter convalescit.

13. Quot verò Medici gangrænæ causâ matricem sinè mulierum morte reciderunt? Legantur *Vega*, *Mercurius*, aliisque. Profectò *Rousettus* de uteris, quâ violenter abscessis, quâ sponte cadentibus, novem repræsentat exempla; sexdecim *Bauhinus*, quibus aliud superaddo *Panormitanum*, & in matrona etiamnum vivente celeberrimum. Quod circà *Soranus* ait: [a] *Minime existimandum est, uterum principatum ad vitam tenere: Quia is non solum procidit; sed etiam in quibusdam præciditur, nec tamen mortem affert, ut litterarum monumentis Themiso commendavit.*

14. Præ cæteris autem *Paræi* auctoritas est attendenda. Is cum eodem *Bianchii* & *Guillemeau* olim putaverat, uterum absque Gravidæ occisione vulnerari non posse; nihilominus necessitate compulsus, ut ipse narrat, [b] ad id dœvenit, ut fœminæ infirmæ non solum totum uterum, qui putruerat, frustratim, sed etiam unum ex duobus dydi-

## O 3

[a] *Soran. de Loc. mulieb.*

[b] *Paræus l. 23. c. 41.*

mis extirpaverit, testibus non solum *Gaudino*, *Feureo*, & *Violaneo* Medicis; sed & *Veaux* & *Guillemeau* ipso Chirurgis: Illa tamen egregiè restituta est. Credendumne, *Paræum* & *Guillemeaum*, uteri sectioni cæteroquì satìs adversos, in utero dignoscendo cœcutisse?

Quocircà *Paræus* & sua, & aliorum, tum veterum, tum recentiorum experientiâ edoc-tus, eodem loco sic habet: *Si uterus procidens remediis restitui nequeat, & vulneratus computruerit, jubemur veterum præscripto, illum amputare; cautè tamen ipsum vinciri volunt, ejusque id tantum, quod necesse sit, rescindi; reliquum cauterio inuri, & ex artis regulis curari.*

15. Mortuæ sunt quidem nonnullæ post Partum *Cæsareum* uterinum fœminæ, quod urget *Bianchius*: At, cùm illæ ut plurimū non nisi post dies aliquot fato cesserint, existimandum est, mortem non ex venarum arteriarumque hæmorrhagia, ut ipse arbitratur, sed aliunde provenisse: Nam secùs multò citius expiraflent.

16. Itaque, sicuti valde commendo *Bianchii* monitum, tanto Viro dignissimum, de *Cæsarea* sectione securè, saltem aliquoties, ministranda, si Fœtus non in matrice, sed in abdomen delitescat; ita ei assentiri non possum, ubi absolutè vetat, extrahi Fœtum per uteri incisionem, si quando in utero maneat.

## C A P U T I I I . \*

*Quando Partus Cæsareus in vivente  
probandus, vel improbandus.*

I. D Erelicta ergo *Bianchii* opinione, æquum erit, si communem ferè Medicorum omnium transacti, præsentisque sæculi amplectamur, eò quod innumeris jam experimentis pateat, *Cæsaream* incisionem non solùm, si conceptus in ventre, sed etiam si in utero acciderat, felicissimè contigisse. Cùm autem Partus *Cæsareus* non indiscriminatim, sed eximia cum cautela & circumspectione, nec nisi naturali partu desperato, sit adhibendus, restat, ut breviter ex *Heistero*, *Simonio* aliisque [a] primi ordinis Medicis & Chirurgis videamus, quibus in casibus administrari eum oporteat: Verendum est enim, ne opportunè fructum colligere contendentes, arborem ipsam succidamus.

O 4

\* In Arch. c. 4.

[a] Heist. p. 2. sect. 5. c. 113. de Part. Cæsar. & c. 152. de Part. difficili. Simon. in tom. 2. Mem. Acad. Reg. Chirurg. in perquisit. de Part. Cæsar. p. 2. Bianch. de vit. Generat. per tot. videndi Roussel. Bahuin. Matth. Cornac. Sennert. Hildan. Cyprian. Saviardus. Rulou. & Acta Anglican. Gallic. & German.

2. Igitur ante omnia distinguere necesse est, utrum Fœtus in Matre vivente sit mortuus, an vivere perget.

Si mortuus est Parvulus, & in utero solum cadaver ejusdem supponamus, non incidenda Mater; sed ille potius, ubi nihil obstat, vel uncinis, vel aliis instrumentis educendus. Cavendum est autem quam diligentissime Chirurgis, ne illum, ut frequentissime fit, contibus nascendi debilitatum, ac deliquio labefactatum, facilè mortuum credant, qui forte vivat adhuc: Instrumenta enim ipsum vel dispergerent occiderentque, vel saltēm lāderent. Porro, ut supra dictum est, signa mortis in utero sunt fallacissima, præsertim, si Puer vel in axillam, vel in dorsum, vel in alterutrum capitis latus conversum se præbeat: Quapropter moneant Chirurgos Parochi, ne umquam arripiant ferramenta, nisi prius Infantis mors omnino sit exploratissima.

3. Cūm verò Fœtus mortuus in tuba manet *Fallopiana*, vel in ovario, vel in abdomine, competit *Cæsareus* Partus, absque quo Fœtus cadaver in Matris visceribus relictum, putresceret, eamque communicata corruptione perimeret. Libenter verò hæc sectio esset administranda, ubi abscessum aliquem natura ipsa promoverit.

4. Si autem cadaver est quidem in utero, at modus non suppeteret illud per uncinos eruendi (quod forte numquam eveniet, nisi

ubi in aliqua uterina hernia , adhærentias habente , resideret ) Matris liberatio in solo Partu *Cæsareo* consistit. Idcirkò *Heisterus* monet , eum Gravidæ suadendum ; si modò in eo statu sit ipsa , ut cum vitæ spe acerbum istud remedium sufferre valeat : Nam , et si ea illud expeteret , at viribus esset prostratis , frigefacta , & sudore frigido manans , Partus *Cæsareus* , absque ulla Pueri jam defuncti utilitate , ad mortem tantummodò Prægnanti accelerandam conduceret , ac frustrà infamiæ vulgique calumniis exponeretur.

5. Et hæc profectò , ubi , Matre vivente , Fœtus è vivis exceperit. Si verò vivant simul & Mater , & Fœtus , accuratiori criterio opus erit , casuumque circumstantiæ discernendæ.

## PRIMUS CASUS.

### *Mala Ossium Conformatio.*

6. Si quando in Matre pubis os est nimis planum , seu compressum , vel profundius , quàm par est , situm , vel os sacrum nimis exporrectum , seu prominens , aut si tuberositates ossis ischii sunt invicem , vel erga coccigis os nimis vicinæ , sive id naturaliter , sive ex aliqua luxatione sit factum ; tunc inter Puerum jam partui maturum , ideòque grandiore , & viam , per quam transire necessè est , debita proportio manifestè deficeret ; proindeque partus erit impossibilis. Huic mal-

Sæpenumerò obnoxiæ sunt mulieres modicæ staturæ, ac malè conformatæ, quamquam non defunt ex ipsis, quæ satis capacem habeant pelvim, & partui sint satis idoneæ; sicuti è contrà non defunt aliæ, optimè in reliquis constructæ, quæ tamen sufficienti pelvis amplitudine careant.

In supradicta ergo mala ossium dispositio-ne, tota salutis ratio, Matris non minùs, quam Filioli, ex solo *Cæsareo Partu*, veluti sacrâ quadam anchorâ, pendebit.

7. Sectio autem, semel ac naturalis partûs impossibilitas exinemendabili hujusmodi causa innotuerit, sine ulla mora facienda est; nec mortalia symptomata & accidentia erunt expectanda: Mora enim fatalis esset, & remedium tardum evaderet inutile: Nam ex compressione, quam uteri collum pateretur, inflamatio & gangræna oriretur. Proinde redimendum est tempus, nec frustrè in dilatatione orificii insumendum: Partûs enim impeditio aliunde procedit. Idem dicas, ubi pelvis quidem conformatio non prava fuerit; attamen ossa pubis & ischii exostoses habeant prægrandes & insuperabiles: Propter eas enim æquè impossibile erit puerperium.



## SECUNDUS CASUS.

*Vaginæ angustia ob tumores, & similia  
obstacula in uteri orificio.*

8. Vaginæ angustia vel ex naturali ipsius constitutione provenit, quod scilicet minorem fortita sit diametron; vel ex cicatrice, duritate, callositate ob ulcus, aut lacerationem in partu antecedenti; vel ex tumoribus magnam colli partem occupantibus; vel ab aliqua præternaturali membrana procedit.

9. Si angustia ex primigenia constitutione sit, non facile ad Partum *Cæsareum* currendum erit: Cùm enim magna sit vaginæ ad se extendendam naturalis aptitudo, naturalis hujusmodi extensio speranda est.

10. Cicatrices & callositates tunc Partum *Cæsareum* postulabunt, cùm alia artis remedia nihil profecerint; in quibus etiam computantur incisiones, & locorum vaginæ, ubi fortè obstaculum residet, expeditio; deinde speculi applicatio; vel denique callorum ipsorum extirpatio.

11. Tumores ad matricis orificium, si sint ingentes, ac scirrosæ duritiëi, omnem quandoque spei pariendi aditum præcludunt: Necesse est enim, ut proportio inter Puerum exiturum, atque ostium intercedat. In hac igitur circumstantia præstat incisione uti, quam extirpatione tumorum, quæ nimis esset periculosa.

12. Verùm, si tumores non ad orificium uteri sint, sed in vagina, difficiliorem solito, ac lentiorem reddunt partum, sed non desperatum; imò, si sint duriores & crassiores, commodissimè & sinè periculo extirpantur.

13. Callositates autem, & colli uterini restrictio propter ulcera & lacerationes ex partu antecedenti diffīcili, non semper justam *Cæfarei* Partūs efficiendi causam subministrant: Poterit enim naturalis partus esse quidem difficilis, quin sit absolutè impossibilis. Expediendum est itaque matricis collum per incisiones, si sint indicatæ; incidendæ sunt quoque aliæ præternaturales membranæ, si obſtent.

### T E R T I U S C A S U S.

#### *Uteri Diruptio.*

14. In maxima partūs difficultate, ob insolitos Parvuli Matrisque conatus, uterus quandoque dilaceratur, ac Fœtus ipse toto corpusculo ventrem Genitricis ingreditur; quo semel factō, nasci deinde omnino nequibit. Si igitur, postquam ille ad orificium venerat, dolorifici pariendi impetus repente conquiescant, ac Puerpera solitum pondus, atrocissimumque dolorem, quem in utero patiebatur, in ventrem, mutata sede, transire sentiat, pulsu præsertim intermittente; neque Infantulus amplius tangi queat; uterum jam

dilaceratum, ac totum Puerum in abdomen commigrasse, judicabimus.

15. In hoc infortunio quam celerrimè Partus *Cæsareus* adhibendus est: Secùs non solum Puer, sed Mater ipsa brevè peribit; ob insignem scilicet, internamque hæmorrhagiā, sanguine inferiora ventris latibula inundante.

16. Quocircà, meritò casum istum ex urgentioribus ad Partum *Cæsareum* accelerandum Chirurgi reputant. Indè est etiam, quòd *Willemeaus*, ubi in partu verè arduo Puerperam convulsionibus lacesſiri videamus, monet, Infantem esse extrahendum; propter formidinem scilicet, ne uterum ille disrumpat.

17. Cùm verò interdum contingat, ut uteri ruptura non magna sit, utque hæmorrhagia nec enormis videatur, nec interna, seu ad ventris caveam vergens, at externa: Cùmque possit idcirco Puer solita viâ, quamquam lacерato utero, nonnumquam oriri, quod nonnulla comprobant exempla; Partum *Cæsareum* non semper, sed in duabus tantùm circumstantiis indicatum censebimus: Neimpè, si totus Infantulus in abdomen intraverit; vel, si pro parte quidem eò ingressus est, pars tamen reliqua in utero manens non sufficientem, ut ita dicam, præbet ansam, qua Chirurgus illam foras educere valeat.

18. Si, quamvis utero non rupto, magna nascatur hæmorrhagia, quæ sisti fortasse ne-

queat, salus in Partu *Cæsareo* sita est: Dum enim Infans uterum inhabitando, ipsum expandit, cruoris effusio cöercéri non posset; contrà verò post *Cæsaream* incisionem, utero sua-spontè contracto, minuetur. [a]

## Q U A R T U S C A S U S.

### *Vitiosa extra uterum Conceptio.*

19. Ventralis conceptus multiplex esse potest: Nimirūm primò, in intima ovarii substantia. Secundò, inter ipsam, & tunicam succingentem. Tertiò, in extremitate, seu tentorio alterutrius ex tubis *Fallopianis*. Quartò, in ipsius tubæ medio. Quintò, in superiori abdominis cavea. Sextò, in inferiori, quæ *Pelvis* appellatur.

20. Generatim conceptus ventrales ab uterinis, id est, vitiosi à naturalibus, non difficilè internoscuntur: Nam in naturali, tumor apparet subrotundus, planus, æqualis, ac veluti levigatus, & plerumque in medio hypogastrii; in præternaturali verò, tumor acuminatus, rudis ac durus, ut plurimùm situ altior in alterutra iliacarum regionum, & pro ratione temporis minor. Naturalis, in principio nauseâ, & vomitibus molestus, in progressu mitescit; præternaturalis, in princi-

[a] Boerhav. *de Concept.* n. 685. *in not.*  
Haller. *ibid.* n. 40. *cum Galleno & Rouffet.*

pio mitis, in progressu exasperatur; Matri variis gravibusque symptomatis acerbissimus ac maximè dolorosus, præsertim ad tactum: Quæ sanè mala crescunt indies, crescente Fœtu; tum quia hic partes, naturâ sua ad distentionem ineptas, magis magisque distractit; tum quia viscerum functiones interturbat, nisi forte in intestinorum anfractibus veluti sepultus jaceat: Tunc enim vix tumor ejus ab aliis, ac dolor à Matre percipitur.

21. Partûs autem tempore adveniente, faciliùs vitiosa generatio à naturali discernitur: Nam in illa, contrà quam accidat in ista, secundinæ Obstetricibus non se præsentant, nec aquæ solitæ, nec aliquid glareosæ materiæ ex utero descendit: Hic enim absque sensibili mutatione clausus perseverat.

22. Notas etiam deferunt vitiosæ generationes, quibus inter se-ipsas discriminantur. Nam in graviditatibus ventralibus caveæ superioris, lac ex mammis non erumpit, neque symptomata, seu læsiones vesicæ, vel intestini recti, nimirùm propter distantiam; sed respirationis difficultas observatur: Contrà verò, si graviditas in ovario, vel tubis, vel abdominis pelvi contigerit, inferiorum viscerum functiones turbantur: Organa tamen respirationis, utpote remotiora, molestiis eximuntur.

23. In conceptionibus, quæ ad ovarium, vel tubas pertinent, purgationes menstruæ

supprimuntur, nec superfœtationes emergunt; contrà verò in prægnationibus abdominis, & menses fluere pergunt, & aliquando advenit superfœtatio.

24. Cùm Puer in inferiori abdominis cavo latet, magis dolorifica erit prægnatio, quàm si in cavo superiori: Nam in secundo, Fœtus ab intimis sedibus distat, ac veluti subcutaneus tactu ipso dignoscitur; quandoquidem rari sunt conceptus ventrales superiores intimi, ac visceribus immersi. Denique Infantis motiones in superiori cavo, loco nimirùm ampliori, utpote non cöerciti, vagantur; maximè, si placenta parti alicui fluctuanti se alligaverit: Qua in circumstantia Fœtus nunc huc, nunc illuc transfertur; eaque loci variatio in cœteris prægnationibus, quæ fixam habent omnino stationem, percipi non potest.

25. Difficilè graviditas ovarii à tubarum graviditate discernitur, propter horum viscerum propinquitatem, & unius extensionem super aliud. Medici nihilominùs, cruciatus esse minores adnotârunt, si prægnatio in principio tubæ facta fuerit, quàm si in ovarii margine; atrociores verò persentiri in intima ovarii substantia, quàm si in ejusdem ovarii extremitate contigerit.

26. Jam verò, si pariendi tempus instet, doloresque soliti irruerint, Puer tamen superioris abdominis cavo contineatur, qui causus

fus in ventralibus graviditatibus est maximè obvius, & omnium ad *Cæsaream* operationem tutissimus; nulla interposita morâ, Partus *Cæsareus* ad Matris & Filii liberationem, vel saltem Matris, ubi Filius interierit, est usurpandus.

Manum autem huic incisioni admovêre oportet, quo tempore ad ortum nititur Infans: Tunc enim placenta, & secundinæ à maternis visceribus, quibus antè adhærebant, natura in primis agente, solvuntur. Quæ enim Chirurgi ars, qui culter eas tam aptè atque innocuè dissociare valeret? Eam tamen circumstantiam excipit *Bianchius*, nempe ubi Fœtus, licet immaturus, exitum frustrâ moliretur, ac Matri propterea esset omnino intolerabilis: Tunc enim, ejus anteà investigata mansione, Partu *Cæsareo* præcipit extah, ne Genitricem occidat, & consequenter, ne se ipsum perimat cum salutis æternæ jactura. Si verò mortuus jam sit, nec Matri molestus, quia fortè incorruptus, vel exsiccatus, prohibet *Bianchius*, illum per sectiōnem educi: Videtur enim adeò firmiter Matri annexus atque conglutinatus, ut nequam veluti corpus extraneum reputandum veniat. Quam ob rem propter adhærentias Partus *Cæsareus* non tutò efficeretur. Duas tamen hæc regula patitur limitationes. Prima quidem est, si natura per aliquem abscessum incisionis necessitatem, ejusque faciendæ lo-

cum indicaret. Secunda , si aliqua succedat superfœtatio : Tunc enim, nisi extirpetur mortuus , recentioris Fœtūs extensionem præpediet , eumque disperdet , Matremque ipsam acerbissimis malis ac symptomatis involvet , & in certum vitæ discrimen conjicit: Quocircà monet , esse accelerandum.

27. Cùm conceptio ventralis fuerit , sed in pelvi , Fœtus non nisi usque ad certum tempus ibidem crescit: Verùm ad maturitatem perduci non potest , à loci angustia coarctatus atque compressus , ac multò ante partū tempora è vita discedit , statimque corrumpitur ob loci , qui totius corporis est sentina , impuritates. Itaque Partus *Cæsareus* , ad hujusmodi Fœtus à morte servandos , ministrari non solet ; nisi , cùm ipsi in cavo superiori abdominis concepti & adauerti , deinde à pristinis ligamentis nascendi impetu soluti , se in inferiora loca insinuaverint. In eo tamen eventu sectio ex *Bianchii* ad perinæum ( sicuti quandoque lithotomia in calculosis ) erit instituenda.

28. Si Fœtus in intima ovarii substantia germinaverit , parum ibi subsistet ; sed indè per internum abortum citò egressus , & in abdomen prolapsus , in abdomine peribit , Matre interim ex interna & immedicabili hæmorrhagia etiam pereunte. Igitur in interiori ovarii conceptu *Cæsarea* sectio viventi quidem Matri fieri non consuevit ; mortuæ

tamen facienda est, ut Parvulus, qui fortè vivat, Baptismi aquâ mundetur.

29. Cùm verò in ovarii margine, vel in tubæ principio ad maturitatem usque ille creverit ( nam, utrumque aliquoties evenire, non ambigitur ) faustissimè adhiberi solet viventis Matris incisio.

30. Non eadem est Fœtuum sors, in medio tubæ germinantium: Constat enim, eos maturitatem non adipisci; quippe qui, testante *Bianchio*, tubam discindant, fatali hæmorrhagia, quæ indè sequitur, Matrem encantes. Hujus verò morte comprobata, *Cæfareus* Partus omitti non debet. Cæterùm, si & hi, raro quidem casu, ad proprium nativitatis tempus pervenerint, ex *Heistero*, aliisque Medicis atque Chirurgis, Mater, ubi vivat, erit omnino *Cæsarea* operatione adjuvanda: Quamvis enim hæc tali loco periculosa sit, remedium tamen est unicum, ac prorsùs indeclinabile.

## Q U I N T U S C A S U S.

### *Uteri Hernia.*

31. Si hernia cum vicinis partibus adhærentias fecerit, & adeò sit ingens, ut Puer in locum debitum intromitti nequeat, adhærentiæ poterunt contractioni matricis obstare; ac tunc Infantis corpus, quod in naturali partu super uteri orificium incumbit, super

ipſius fundum gravitabit; proinde ad *Cæſareum* Partum deveniendum eſt. Si tamen adhærentias non habeat hernia, ſed libera ſit; quantumvis magna, ingredi poterit: Quocirca Sectione *Cæſarea* non opus erit; ſed ſolitis artis præſidiis Infantulus adjuvabitur.

## S E X T U S C A S U S.

*Naturalis Infantis Magnitudo.*

32. Hactenūs de Partū difficultatibus, à Matre provenientibus: Nunc aliqua de iis, quæ ipſi Filio imputantur. Itaque, ſi Puer prægrandis eſſet, Mater autem in pelvis oſſibus bene conformata, & in mollibus partibus obſtaculis libera; quæcumque profecto fuerit naſcituri moles, laborabit ille quidem, ſed tandem naturæ mechanismo, & maternarum partium extensibilitate prodibit. Quam ob rem non facilè ad Partum *Cæſareum* ſe accinget Chirurgus; verùm ad pariendi difficultatem vincendam aliis artis remedii utetur: Quot enim Parvuli, Obſtetricibus posteriora dantes, volumenque ſuum ea configuratione duplicantes, nihilominus apprehensi, extracti ſunt? Quoties etiam duo Parvuli, quamvis invicem uniti, Matre incolumi, aliquando tandem educiti?

33. Cæterū, ſi Puer, quacumque ex cauſa capite impacto in superiori uteri orificio, vel vaginā immobilis hæreat (quæ re-

rum constitutio è difficilioribus, quæ Obstetricantibus occurrere possunt, meritò reputatur ) quid agendum? *Heisterus* [a] non laudat incisionem, nisi Parvulus regni sit hæres, & paci publicæ necessarius, aut Mater incidi optaret. Docet autem, illum syphunculo, aut aliter baptizatum, & aliis artis remediis diligenter adjutum, sibi ipsi derelinquendum esse, ut tandem ex se demortuus, ferramentis evellatur. Quòd si Mater fato sit proxima, & anxiè quærat auxilium, putat Infantem, veluti ejusdem invasorem, instrumentis, à se descriptis, esse trucidandum.

34. At in his circumstantiis Partum *Cæfareum* omnino proponerem, Genitrici non minùs, quàm Filio; Principibus item, ac ignobilibus æquè salutarem. Fœtūs autem viventis carnificinam non opus est hoc in loco refellere, cùm sæpe damnaverim.

### S E P T I M U S C A S U S.

*Morbosa ex Hydrope Infantis Magnitudo.*

35. Si Parvulus hydrope, non tamen hydrocephalo, laboraret, posset illi quidem in ipsa matrice, sinè Puerperæ sectione, paracenthesis, id est, punctio adhiberi: Nam qui capitis hydrope taliter extumuit, ut propte-

P 3

[a] Heist. loc. cit. c. 152. n. 27. &c. 113.  
n. 17. & in not. ad litt. A.

reà oriri non possit , vitam ipse jam antè finire consuēvit. Quarè , si mortuus verè fuerit , uncinis erit extrahendus. [a]

## O C T A V U S C A S U S.

*Monstra.*

36. In conceptu monstroso , putà bicipiti , vel bicorporeo , quamquam partum impossibilem supponamus , denegat *Heisterus* [b] ad hujusmodi parricidas liberandos incisionem ; quòd nec vitales esse soleant , nec nisi inutilia & horrenda sint orbis terrarum pondera. Vult igitur eos ( utique modo aliquo baptizatos , quod expressè de aliis admonet ) mori sinamus , deinde ferramentis extirpandos. Et optimè quidem , si solam Fœtūs corporalem vitam intueri oporteret : Si enim ad spiritualem quòque , utì necesse est , attendamus , cuius discrimen , etsi dubium . corporali Genitriciſ discrimini prævalet , *Heistero* assentīri non possumus. Etenim , cùm monstrorum homunculorum animæ non sint aliis , formosorum nempe , ignobiliores , eadem erit pro æterna utrarumque salute Matris obligatio ; imò pro monstrorum quandoque major : Nam primò , ut in reliquis Infantibus , pensandum esset , utrùm Baptisma existenti


[a] Simon. loc. cit. casu 5.

[b] Heister. loc. cit. c. 113. n. 8. & cap. 152. n. 27.

prorsus in utero collatum, de quo disceptabitur infra, sit validum. Deinde, si monstrant bicipitia, vel bicorporea, & in utero per syphunculum baptizantur, praeter cætera oportet, ut certò sciamus, utrumque corpus, aut utrumque eorum caput aquæ immissione lavari. Idemque dicas, ubi duo Gemelli foras prodire, quamvis ab invicem separati, nequirent; cum certum sit, unumquemque ipsorum necessariò esse abluerendum.

37. Et hæc sanè de *Cæsarei* Partus pro variis circumstantiis necessitate atque opportunitate. Quod autem ad methodum ejusdem in viventibus exequendi pertinet, ferè eadem est, ac in mortuis, nisi quod sanguis, perpetuò à vasis incisis distillans, accurate & indesinenter, ne in visceribus infirmæ stagnans, ibidem corrumpatur, spongiis, vino, vel decocto vulnerario calido madefactis, expurgandus est; ora majorum venarum digitis comprimenda, applicitis etiam linamentis, spiritu vini rectificatissimo imbutis: Quibus paulò post exemptis, abstergoque spongiis iterum sanguine, balsama partibus vulneratis immitti oportebit. [a] *Dionysius* incisionem, non ab umbilico ad inferiora, & linea longitudinali, faciendam optat, sed à parte laterali ventris, ac per lineam semilunarem. Jubet etiam cum veteribus, uterum non mi-

nūs, quām partes alias incīfas, pro coagmentatione consuendum. *Heisterus* autem, qui latissimē ac minutatim Partum *Cæsareum* viventium describit, probat quidem lineam lateralem; sed eam postulat rectam: Suturam verð uteri cum recentioribus prohibet, ejus partium unionem naturæ ipsi committens; cùm eæ sponte suâ contrahi soleant, glutinari, ac felicissimē uniri.



## C A P U T I V. \*

*De Matris circa sustinendam sui incisionem; & Parochorum, Medicorum, Chirurgorumque, eam ipsi tum præscribendi, tum respectivè exequendi, obligatione.*

I. **E**xplícatis juxta Medicorum sententiā casib⁹, quibus Partus *Cæsareus* in vivente conveniat, discutiendum hīc esset, utrūm Mater illum subire teneatur, ne Infantulus absque Baptismate pereat, ubi dissecṭæ spem vitæ post cæsionem remanēre supponamus: At, cùm *Theophilus Raynaldus* Tractatum de *Ortu Infantum*, per sectionem *Cæsaream* eruditissimē conscripserit;

\* In Archet. n. 39. c. 4.

in quo , aliquibus de dissectione defunctorum delibatis , totus in eo est , ut ad Sanctuarii lances examinet , qualis & quanta sit in Matre vivente , pro Filii Baptismate procurando , sustinendæ incisionis obligatio ; ne , quod accuratissimè actum est , agamus iterum , satìs mihi fecisse videbor , si summam hic ejus doctrinæ subjunxero : Præmonens interea , non nisi raro contingere , ut & infrà dicemus , casum , quo Puer , syphunculo saltem in utero baptizari nequeat , si modò talis Baptismi validitas admittatur .

2. Itaque *Raynaudus* ex hodierna Medicorum sententia , per docentium , posse Matrem , nec difficulter , uteri cæsuræ supervivere ; juxta D. *Thomæ* principia probat , eam pro æterna Filioli salute non solùm sub gravi peccato ad incisionem tolerandam , sed ad ipsam etiam expetendam obligari . Hanc ampliat conclusionem ad casum , in quo dubium esset , utrùm , incisa Matre , Filius juvaretur , an non ; adstruens , spiritualem Pueruli vitam , etsì tantùm probabilem , certo dolori , ac probabili mortis periculo in Matre præponderare semper . *Raynaudi* sententiæ maximè favent *Paulus Vecchi* , *Pelbartus* , & *Brianson* ; qui , licet hujus materiæ dilucidatione antiquiores , ad incisionem tamen propenderunt , dummodò absque magno Matris periculo , ut jam hodiè scilicet experimur , ea peragi possit . Quibus accensendi sunt

etiam omnes illi (& planè innumeri) qui obligationem baptizandi Infantes, vel cùm vitæ periculo, clarissimè propugnant.

3. Ad alium etiam casum doctrinam traditam *Raynaudus* extendit, quo nimirùm posset quidem Parvulus absque Matris incisione baptizari, at supervivere non posset; si tamen ejus vita publico bono esset necessaria; putà, si unicum esset ille Regalis Familiæ germanus, & Regni hæres.

4. Denegat autem, posse incidi Matrem capitis damnatam, ad Baptismum Filiolo ministrandum: Leges enim jubent naturalem partum expectari; nam aliter Fœtus innocens, cùm sit immaturus, ubi tempore improposito, & à natura non præordinato ederetur in lumen, vitalis non esset, aut saltem gravissimo & manifesto mortis discrimini exponeretur. Negat præterea, Prægnantem morti adjudicatam, ad usum Anatomiæ incidi posse; idque solùm permittit, ubi, ejusdem supplicio retardato, magnum aliquod reipublicæ periculum imminereret; modò tamen octavo mense, aut saltem septimo institueretur incisio.

5. \* Parochus ergo, ubi ex Medicorum judicio Gravidæ incisionem esse necessariam, ejusque pericula superari posse cognoverit, Partum ipsi *Cæsareum* laudare, & efficaciter suadere non omittat; ostendens, hujus

\* In Archet. c. 5.

ectionis dolorem non esse adeò vehementem,  
eque cruoris effusionem adeò immanem : \*  
Addens, insuper Prægnantem hujusmodi to-  
lerantiâ, excelsum eximumque magnanimæ  
haritatis actum exercituram; cùm ad offi-  
cium Pastoris animarum pertineat, non solùm  
ibi creditas oves per Præceptorum adimple-  
tionem à noxiis peccatorum graminibus, &  
eternæ ruinæ baratro arcere; sed etiam per  
ublimiora consilia, quodad fieri poterit, ad  
heroïcarum virtutum saluberrima pascua du-  
tere ac invitare. Cæterùm, non indifferenter,  
aec facile sustinendæ incisionis debitum sub-  
gravi peccato Prægnanti Parochus denuncia-  
bit; sed tantùm, ubi ex Christiana illius Vir-  
ute atque circumstantiis confidat, illam assen-  
tūram. Si tamen ipse pro certo haberet, se-  
nihil suasionibus suis consecuturum, Partum  
*Cæsareum* prudentiori atque convenientiori  
modo, quo poterit, proponet quidem; de-  
stricta verò obligatione diligentissimè silens,  
orationi servidiùs insistet, ac totum negotium  
Divinæ Providentiæ committet; quod non  
obscure *Edictum Catanense* numero 3. præ-  
monuisse videtur: Verendum est enim Paro-  
cho, ne, dum unam animam servare con-  
tendit, duas simul, & Infantis nimirùm, &  
Genitricis amittat.

6. Verùm, quia rationum momenta ab

\* *Vid. Arch. c. 3. n. 24.*

amore, quo erga nos ipsos afficimur petita, s<sup>æ</sup>pe facilius, qu<sup>a</sup>m <sup>à</sup> vera erga proximos charitate deprompta, perpendere consuēvimus; Parochi, aliique Sacerdotes Prægnant<sup>i</sup> demonstrabunt, h<sup>i</sup>c ejus qu<sup>d</sup>que rem agi, quæ ipsius maximoperè intersit: Nam, Fœtu intra viscera moriente, illam qu<sup>d</sup>que mori necesse est; aut saltem ad Fœtū mortui extractionem sustinendam adigetur: Quæ chirurgica operatio merit<sup>o</sup> horrenda, & s<sup>æ</sup>vissima creditur. Profect<sup>o</sup>, formidinem creant solummod<sup>o</sup> visa instrumenta ad eam ordinata, & graphicè à *Parœo*, *Aquapendente*, *Rouffeto*, aliisque descripta: Vel saltem frustratim, ac sponte suâ egredietur infelix Puérulus; quæ res Matri periculi plena contingit, doloribusque intolerabilibus fœcunda, nec minùs atrocibus *Cæsarea* ipsa incisione, quæ brevi perficitur, quamque demùm lætitia subsequitur; vel quia novus homo juxta Dominicam Sententiam natus est mundo; vel saltem, si fortè, accepto Baptisinate, protinus ille extinguitur, quia natus est Cœlo, qui Beatorum numerum ampliavit. Hæc autem **Infantis beatissima** fors Parentum lacrymas tergit, doloremque vertit in gaudium: Contrà verò, ubi Parvulus exeat mortuus, ejusque proinde anima in æternum pereat, mœror nulla propemodùm consolatione lenietur.

7. Quid autem de Chirurgis Medicisque dicemus? Tenenturne ipsi *Cæsareum* viventis

Partum præcipere , ac respectivè similiter exequi , ubi expedire cognoscant ? An omittere possunt ob vanam formidinem , ne , si fortè infeliciter ille succedat , famæ jacturam patiantur ? Chirurgus , vel Medicus , qui salutare hoc remedium , si convenire arbitraretur , non proponeret , mortali peccato se contaminaret , ac censoria Magistratūs virgâ multandus esset ; ac multò magis , ubi , optante infirmâ , puerilibus ex causis suo fungi munere renueret ; ut latè ac scitissimè docuit *Heisterus.* [a] Cæterùm , tenentur Medici & Chirurgi hujusmodi operationem congruo tempore insinuare ; id est , antequàm ægra ad eum statum redigatur , quo amplius tantum remedium experiri non liceat .

8. At respondebis , in pagis oppidulisque ignobilioribus sœpe desiderari Chirurgos . Hoc equidem scio : Sed locorum Domini ( quod iisdem suggerere deberent Parochi ) eos , ut ibi sedem figant , perpetuo , competentique honorario conducere tenebuntur . Necessarii quidem sunt Medici , saltem ut opportunè suprema Sacraenta præscribant , ac letargo , similibusque affectionibus oppressos , aptis medicaminibus ad sensuum officia revocare contendant , quo illi saltem à culparum labe Sacra Confessione mundentur : Attamen æquè necessarii sunt Chirurgi , ut in permultis aliis ,

[a] *Heister.* p. 2. sect. 5. c. 113. n. 6.

ita & præsertim in partibus difficilioribus ac desperatis. Oportet igitur, ut in locis minimè populosis Medici saltem Chirurgiam non minùs, quàm Physicam profiteantur, & utriusque simul incumbant.

9. Debebunt autem, qui Chirurgiam exercent, ex conscientiæ lege, non solùm libros chirurgicos diligentissimè sibi comparare, maximè qui de Partu *Cæsareo*, partuque difficili differunt, ac miri sanè sunt usûs, v. g. *Heisterum*, ac similes; verùm etiam propriæ artis instrumenta conquirere, præsertim magis præcipua & utiliora. Inter hæc autem eminet supradictum *Palphinianum* ad vivos Infantulos extrahendos; quod *Siculi* Chirurgi domi suæ perpetuò habêre, novo jure tenentur. [a] Si namque idoneis careant instrumentis, infinitæ ab eis præstandæ operatio-nes ignotæ remanebunt; vel ipsi, de iis efficiendis requisiti, tergiversabuntur, variis se prætextibus excusantes. Hæc sanè Toparchæ omnes, quibus populorum gubernatio atque tutela commissa est, in primis curabunt: Ad quæ si non attendant, nescio, quibus umquam rebus providentiam ac solicitudinem suam impenderint.

[a] Vid. in Append. Archetypi mon. 5.



## C A P U T V. \*

*In Partibus difficilibus, posse ut plurimum  
in utero ipso Parvulum baptizari; &  
bujusmodi Baptismum esse validum.*

**N**emo, ait Rituale Romanum, in utero Matris clausus baptizari debet; sed, si Infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, in capite baptizetur; nec, si postea vivus evaserit, erit terum baptizandus. At, si aliud membrum miserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum pendeat, baptizetur; & unc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Si verò ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in Loco Sacro sepeliri. [a] Hæc itaque certissima sunt. Porrò uterus figurâ sua inversam phialam mitatur, & duo habet in collo, quod etiam *Vagina* dicitur, orificia, superius & inferius: Et superius quidem, cùm adhuc parturiendi tempus non advenerit, adeò valde constrictum manet, ut ex *Hippocrate*, *Galeno*, *Barholino*, Medicisque omnibus, ne cuspidem cùs admittat. Cùm autem Parvulus in eo de-

\* In Arch. c. 6.

[a] Rit. Rom. in Rubr. de Bapt. Parv.

gens dupli etiam membranâ sit involutus, impossibile est ipsum physicè Aquis baptisma libus abluere, nisi, maternum corpus lavando, Filium baptizare affectemus: Quod profectò ad intentum non sufficit, & ab Ecclesia damnatur. Difficultas ergo vigebit solùm pro circumstantia, in qua partus adeste noscatur. scilicet, pariendi tempore imminente, licet Fœtus in utero totus adhuc persistat, neque caput, vel manum, aut pedem, neque aliam sūi partem emiserit, patescit nihilominus jam superius matricis orificium: Quin imò tandem, ex valida muscularum contractione, solet orificium superius cum inferiore conjungi, unumque videri, collo, seu vaginâ intermedia disparente. Præterea Infantulus se agitans, atque vim faciens, ut ab eo carcere, jam sibi molesto, se expedit, secundinas disruptit, quibus involvebatur: Si verò hoc ille fortasse nequeat, id ipsum in extrema necessitate præstabit Obstetrix: Quoniam ex duabus membranis prima, seu chorion, modicæ crassitudinis est ac firmitatis; altera verò, seu amnios, tenuissima, & proptereà pellucida: Quocircà forbicibus, vel etiam unguibus facile discinduntur.

2. Instante igitur partu, ac secundinis jam laceratis, certum profectò est, Infantes physicè baptizari posse, ut omnes hodiè Medici atque Chirurgi asseverant. Id etiam, referente *Pignatello*, Parocho Urbis, testatæ sunt *Romanæ*

*manæ* Obstetrices Congregationi, ad eas examinandas à Cardinali Vicario designatæ: Et id ipsum ego ab expertis *Panormitanis* Obstetricibus accepi. Baptizantur autem non difficulter vel aquâ cavo manûs imposita, dexterè ac diligenter immissa; vel spongiâ aquâ plena; vel parvo cochleari; vel tandem in casibus difficilioribus syphunculo, uti latè docuit *Franciscus Mauriceau*, [a] qui schemata exhibet plurium instrumentorum pro partibus difficilibus. \*

3. Cæterum in universum controvertitur, utrum hujusmodi Baptismus theologicè sit validus. Nullum esse, plerique Canonistæ ac Theologi sustinent, vel sustinere creduntur. Ex his *Riccardus*, *Maironus*, *Astefanus*, *Biel*, *Suarez*, *Enriquez*, *Anglez*, *Tiracellus*, *Graffius*, & præ omnibus *Comitulus*, opinionem suam aliquibus Sanctorum Patrum dictis constabilire conatus. Profectò, si verum esset, quod *Raynaudus* afferuit, horum scilicet opinionem jam esse antiquatam, hujusmodi controversiæ ventilationem omitterem: At *Joannes ab Aranthon*, Episcopus *Gebennensis*, in Synodalibus Decretis, & *Martinus Orellius* in Opusculo A. 1710. typis edito, quamquam *Raynaudo* posteriores, pro nullitate steterunt, eisque tum *Pon-*

Q

[a] *De Morb. Gravid. l. 2. c. 32. p. 264.*

\* *Vid. in Arch. l. 3. c. 6. n. 2.*

*tas, tum Natalis ab Alexandro patrocinari videntur. Quocircà non inutile quidem, neque superfluum erit, eamdem quæstionem pro loci hujus opportunitate discutere.*

4. Sentio igitur, Baptismum, de quo agitur, esse validissimum. Ita, Medicis atque Chirurgis omnibus jam suffragantibus, innumeri sanè Theologi \* docuère. Etenim, cùm hujusmodi Parvuli, quamquam in utero materno existentes, ut & cæteri omnes, rei sínè dubio sint culpæ originalis, in cuius remedium CHRISTUS Baptismum instituit; non apparet, quo pacto soli ab hujuscē Sacramenti beneficio sint arcendi, dum ipsis non minùs, ac aliis, cum debita materia, forma, & intentione possit administrari.

5. Sanè Scripturæ omnes dilucidè clamant, Dei Filium ad omnes homines liberandos è Cœlis descendisse. *Obsecro*, ait Apostolus Paulus, [a] primum omnium fieri obsecrations, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum Homo CHRISTUS JESUS, qui dedit redemptionem se-met-*

\* Viginti octo Theologos, qui hanc tenent sententiam, nominatim citat Auctor n. 4.

[a] 1. ad Timoth. 2. 1.

*ipsum pro omnibus.* Id ipsum de Parvulis inculcare non omisit S. Augustinus: [a] *Numquid Parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: Vult omnes salvos fieri?* Porrò, si Pueri, quamvis in utero existentes, non minùs verè sunt homines, quàm ii, qui ex utero egressi sunt; præcitata Apostoli verba ex *Augustini* ratione pertinent ad utrosque. Idem repetit ipse **Apostolus ad Corinthios:** [b] *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Quo loco apertè docet, CHRISTUM pro iis omnibus corporaliter fuisse defunctum, qui spirituali vitâ carebant, & ex CHRISTI pro omnibus morte, mortem omnium argumentando dedit. Cùm autem evidens omnino sit, nonnatos Pueros, utpotè originali peccato inquinatos, esse Divinæ Gratiæ vitâ destitutos; clarum est etiam, ipsos in universali redemptione penitus includendos. Quod autem scripsit **Apostolus**, prædicaverat anteà **Salvator ipse:** [c] *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et, sicuti Pueri jam recèns nati, quamquàm usū rationis expertes, & propter ætatem Chris-

## Q 2

[a] D. August. l. 4. *contra Julian.*[b] 2. *ad Cor.* 5. 14.

[c] Matth. 28. 19. &amp; Marci 16. 15.

tianæ Doctrinæ, seu Veritatis percipiendæ incapaces, non ideò ab hoc Evangelico verbo *omnes*, nec ab Apostolico D. Pauli superè expresso eodem vocabulo excipiuntur: Ita & nonnati Pueri excludi non poterunt; cùm utrisque sufficiat, si pro modo baptizati, cum habitibus Charitatis & Spei habitum quòque Fidei assequantur, quo adulti in veritatis agnitionem aliquando perveniant; vel, si citius ex hac vita demigrent, in Cœlesti salem Gloria per claram visionem intueantur, quod hic, tenerrimæ adhuc ætatis obstaculo impediti, per actualem fidem cognoscere nequivent.

6. Huic sanè ratiocinio, quacumque demùm ex parte illud consideremus, nihil opponi posse videtur. Verùm adversarii celeberrima illa objiciunt CHRISTI Verba: [a] *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre Regnum Dei.... Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.... Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò.* Ex his autem desumunt, eum, qui natus adhuc non est, non posse per Baptismum dici renatum. At respondetur, CHRISTUM in his verbis, *nisi quis renatus fuerit*, & sequentibus, per similitudinem corporalis nativitatis, Baptismatis effectus, quod primum est inter

[b] Joann. 3.

cætera Sacra menta , nobis aliquo pacto declarare voluisse : Per illud enim *Deo nascimur* , ejusque , & Ecclesiæ filii constituimur . Præterquam quod verbum hoc *nasci* , ex communissimo loquendi usu , omnium rerum , etiam inanimatarum , originem significare consuēvit : Dicimus enim , cogitationes in mensibus *nasci* ; passiones in animis : Lunam , idera , cometas ab horizonte ; flumina è terræ visceribus *nasci* . Cæteroquì ex Rhetorum documentis non est necesse in metaphoricis ocutionibus , qualis ea CHRISTI sententia fuit , ut figura in omnibus , per omnia , & semper prototypo suo ad amissim respondeat : Satis est , inter utrumque aliquam analogiam , proportionemque intercedere . Porrò , ut similitudo sit vera , sufficit , hanc nativitatem dici secundam respectu corporalis generationis , quæ , juxta Sacrarum Scripturarum in ipsa vulgata loquendi modum , nativitas etiam appellatur : Ita enim D. Iosepho humanam CHRISTI Generationem revelatus ait Angelus : [a] *Quod enim in ea natum est , de spiritu Sancto est* . Quapropter Doctores communiter duas distinxere hominum natiuitates : Unam *in utero* denominatam ; aliam *ex utero* . Primam videlicet , in qua spiritus humanus à Deo creatur , & simul corpori satis disposito infunditur ; cuius quidem

Q 3

[a] Matth. 1.

spiritūs ratione, Deum ipsum quodammodo agnoscimus Patrem. Secundam, cùm in materno utero jam plenè perfecti, ex eo in hujus mundi lucem effundimur. Quòd autem CHRISTUS voluerit Baptismum priori magis assimilare, quām posteriori nativitati, illud sufficierter ostendit, quòd nimirūm prima, quæ idem est ac generatio, principalior est præ secunda: Per generationem enim ex non esse hominis ad esse hominis pervenitur; cùm in secunda nativitate, homo, qui jam existebat, ex occulto in apertum prodiens, tantummodo aliis manifestetur. Quam ob rem apparet, primam sinè ulla dubitatione dicendam esse veram ac propriam hominis originem. Insuper inconcussum est Theologis, peccatum originale non in secunda nativitate, sed in prima derivari: Generatio enim filios *Adæ* nos facit, cuius culpa, veluti lues, animam nostram, dum creatur, & corpusculo unitur, secunda nativitate non expectata, veneno suo inficit atque deturpat.

7. Id autem sole ipso clariùs elucet, præfertim ex Operibus D. *Augustini*, qui eò usque processit, ut ad eam opinionem, à veritate cæteroquì alienam, propensus fuerit, quā putabantur homines originali pravitate corrupti, non solum, quòd eorum corpora per carnalem concupiscentiam ex damnata massa, & in sua radice, id est, in *Adamo* vitiata generentur; sed etiam, quòd anima-

nostræ sint veluti animæ *Adami* propagines. Baptismus ergo, qui dein secundi *Adami*, scilicet **CHRISTI**, filios gignit, magis primæ nativitati, quam secundæ assimilatur; et si possit utrique indifferenter, & sufficienti verborum proprietate comparari. \*

8. \* Si liquet igitur, & validè, & proinde licetè (sub conditione) modo prædicto Baptismum periclitantibus Pueris ministrari, sequitur indè, peccari lethaliter, si ministratio hæc omittatur. Et reverè D. *Thomas*, ubi nihil aliud præter pedem lavari posset Infanti, docuit, in pede saltem esse baptizandum; quamvis ipsius ævo, ut S. *Antoninus* retulit, [a] Scholastici Theologi communiùs, hujusmodi Baptismum invalidum esse, censerent: *Quoniam*, ajebat ille, *non nocet.... Et Divina Misericordia non est arctanda*. Imò hodiè Baptismus in pede, vel manu apud omnes pro ferè certè valido reputatur, postquam *Romanum Pauli V. Rituale* ad illius validitatem maximè propendit: Res enim de-

## Q 4

\* In Arch. cit. cap. 6. à n. 9. *Commentario ampliori in hæc CHRISTI Verba*, nisi quis renatus fuerit &c., *Auctor suam sententiam confirmat. Cap. 7. diluit objectionem ex S. Augustin. nov. edit. epist. 178. ad Dardan. Et cap. 8. satisfacit aliis Patribus & Doctoribus.*

\* In Arch. cap. 8. n. 17.

[a] S. Antonin. 3. p. t. 14. c. 15. §. 1. S. Thomas in 4. dist. 6. art. 1. q. 6. ad 3.

cursu temporis & concertatione magis, magisque clarescunt.


9. Quæres, utrùm validè Baptismum suscipiat Puer secundinis involutus? Affirmant multi, quà veteres, quà recentiores Theologi, [a] qui membranas has tamquam ipsius Infantuli partes agnoscunt: Cum eodem enim connectuntur, imò continuantur; cum eo vegetant, ejus arterias venasque continent, & ad ipsius vitam sanguinisque transmutacionem atque circuitum necessariæ demonstrantur. Quocircà vasa umbilicalia, placenta, & secundinæ unum quid cum Fœtu constituunt; maximè, quia eorum adauctio & motus non à Matre, ut prisci Medici sentiebant, sed ab Infantis anima dependet. Baptismum tamen sub conditione tribuendum, admonet Roncaglia, [b] propter multorum etiam Theologorum dissensum. Attamen quæstio pro casu præsenti, in quo non de Fœtibus minimis,\* sed de maturis, & nativitati proximis agitur, est purè speculativa, & ad praxim nullius penè momenti: Etenim, si supponimus Infantem jam natuim, non video, quarè sub conditione

[a] Sylvest. V. *Bapt.* 4. q. 1. Vasquez in 3. part. 2. *disp.* 145. c. 4. n. 31. Diana *tom.* 1. *tract.* 1. *resol.* 76. Castropal. q. 4. *tract.* 19. *pun.* 4. n. 8.

[b] Roncaglia *t.* 2. *tract.* 17. *de Bapt.* c. 4. q. 4. n. 1.

\* *De iis actum est suprà l. 1. c. 8.*

baptizare debeamus membranis involutum,  
 & non potius, his antè diruptis, absolutè.  
 Si tamen adhuc in ventre manet, apertum  
 est autem superius matricis orificium; & tunc  
 vel ipse Puer, ut suprà dictum est, jam se-  
 cundinas dilaceravit, vel facilè eas dilacera-  
 bit Obstetrix. Conditionato itaque Baptisma-  
 te non opus erit, nisi cùm, aperto jam ute-  
 ro, membranæ discindi non possent, & pe-  
 riculum instaret, ne Infans intereà moreretur:  
 Quem casum, cùm non nisi semel *Bergomi*  
 evenisse noverimus, [a] rarissimum fore ar-  
 bitramur.



## C A P U T V I. \*

### *De Monstris Baptizandis.*

1. **D**E nonnatis in partu difficili adjuvan-  
 dis agentes, oportet, ut aliqua, sal-  
 tem breviter, de monstris addamus: Ea enim  
 non tantùm in abortu, verùm etiam in Par-  
 tûs difficultate frequentiùs prodire conspicun-  
 tur; cùm ipsa sëpe abortuum, & partuum  
 desperatorum, & mortis Gravidarum causæ  
 censeantur.

[a] Bartholin. *apud* Bonet. *Medic. sept. t.*  
 2. *l. 4. sect. 7. observ. 30.*

\* *In Archet. c. 9.*

2. Monstra prolixè *Paræus*, *Licetus*, *Palfinus*, *Tulpius*, aliique descripserunt. Plures autem sunt illorum species. Alia sunt bruta, etsi à muliere orta; alia semihomines, & semi-bruta; alia homines, at membris aliquibus redundantibus, vel deficientibus, vel deformibus turpia, v. g. caudati, auriti, elingues, asthomi, brachistomi, hermaphroditi, monoculi, sinè sexu, vel anu; alia duplia, ex pluribus nempe Fœtibus inter se unitis coagmentata.

3. Diversæ quoque sunt causæ monstro-rum. Et primò, virilis seminis pravitas. Secundò, Embryonis in ovo fœmineo, naturâ ludente, insolita conformatio. Tertiò, mulierum phantasia tenellum Embryonem immutans. Quartò, uterus ipse, qui cùm non bene distenderetur, illius partes confudit & impli-cavit, ne ritè germinarent. Quintò, aliorum animalium ovula, fortè in mulieris matricem pervenientia. Sextò, varia molarum, vel cor-porum polyposorum in utero configuratio. Septimò, inordinata concubitus, & nimia con-jugum luxuria, ex quibus monstra certis in regionibus frequentiora nasci creduntur. Octavò, demùm Divina Miracula.

4. Non vacat omnia expendere: Satis erit, duas tantummodò quæstiones extricare, ad Baptismum pertinentes. Prima est, quan-donam monstrum reputari debeat animâ ra-tionali informatum, ut illud legitimè Bapti-zemus? Altera, quandonam anima sit una,

vel duplex, ut unum, vel plura Baptismata conferamus? In utriusque, scilicet quæstionis, casibus, ex *Ritualis* doctrina, Baptismo vel absoluto, vel conditionato juxta rei certitudinem, vel incertitudinem utentes.

5. Et quod ad primum attinet; pro regula statuimus, id, quod ex utero muliebri, & ex ovulo humano generatum oritur, ubi sufficiens ratio contrarium non suadeat, animâ rationali præditum, esse præsumendum: Mandavit enim Deus ab initio, plantas ipsas & arbores, unamquamque juxta suum genus, fructum sementemque producere. Nihilominus impossibile non est, bruta in mulieris utero interdum germinari: Etenim poterit alterius animalis ovulum, cum cibis ingestum, illius corpus intrare; quod, si fortè non corruptum, neque alteratum, sed motu sanguinis ad inferiora propulsum in matricem descendenter, poterit ibi, tamquam in loco satî idoneo, quandoque saltem germinare; præsertim, cùm in ipsis marium visceribus aliquando serpentes, aliaque animalia procreentur. Si igitur ex muliere nascatur animal, quod brutum esse deprehendatur, de Baptismo, cuius eit planè incapax, cogitare non oportebit. \* Quid tamen, si, quod nascitur, ex

\* Dinouart, Collet, *aliique contrarium sustinent, dicentes, quemcumque ex muliere Fœtum, quantumvis omni formâ humana destitutum, esse sub conditione baptizandum.*

parte homo, ex parte brutum videatur, maximè, si ex copula cum bestiis originem ducit? In his casibus, ubi monstrum caput habeat humanum, & in ejus corporis idea conformatio humana prævaleat, saltem sub conditione, *si es homo*, baptizabitur: Homo enim videtur esse, atque ab *Adamo* ex parte, media concupiscentiâ carnali, descendens.

6. Difficilior videtur casus, in quo Mater bellua ex viro concipiat: Cùm enim humani Embryones ex mulieris ovo, à semine virili agitato, oriantur, nequaquam elucet, quomodo ex belluinis ovis homunculi emergere umquam possint. Attamen eruditissimi Auctores testantur, & id aliquando evenisse. [a] Quò verò ad Baptismum, idem esto, ac in casu præcedenti, judicium: Scilicet, si caput est humanum, & in corpore humana forma prævaleat, adjecta conditione, tribuetur.

7. Cæterùm, si monstrum biforme nascitur ex muliere, per virile semen genitum fuisse, præsumitur. In eo autem si caput humanum, reliqua verò membra sint belluina (quod pluries evenisse, *Licetus est Auctor*) probabiliùs quidem creditur, animam inesse rationalem; attamen, cùm humana forma respectu totius corporis non certò prævalere videatur, Baptismus sub conditione ministrabitur. [b] Idem dicendum, si viceversà cor-

[a] Paræus l. 25. c. 3.

[b] Ritual. Rom. tit. de Bapt. Parvul.

pus est humanum, caput verò belluinum, ut  
in Cynocephalis, [a] id est, capite canino for-  
matis, qui, eodem *Liceto* perhibente, [b]  
multoties visi: Fortassis enim interna cerebri  
textura humanæ similis erit, & animæ ratio-  
nalis functionibus accommodata.

8. Hæc tamen ad marinos homines, seu Tritones, atque Sirenes, quamvis hominibus supernè simillimos, non extendimus: Baptismi enim capaces non sunt; utpote non *Adæ filii*, imò nec homines. Quòd si cum hominibus coirent (nam extra aquas dicuntur aliquamdiu in vivis perdurasse) & ex iis animal, formam ex parte humanam ostendens, nasceretur, Baptismus conditionatus omitti non debet.

9. Narrant quām plurimi, Pueros fœdis-  
simos ex muliere suceuba, & dœmone in-  
cubo, medio tamen virili semine, aliunde scilicet allato, progenitos; quod quidem rectæ Philosophiæ nequaquām repugnat. Alii hæc facta reputant commentitia, vel ad exempla respondent, mulieres illas, dœmonibus qui-  
dem incubis assuetas, ex alia tamen copula cum viro concepisse. Quidquid sit, si Fœtus est humanus, quamquām adeò monstrosus, Baptismo fraudandus non erit; ac multò ma-  
gis, si non ope dœmonis, sed ex naturali cum viro congressu ortum fuisse credamus.

[a] Clericat. de *Bapt.* decis. 46. dub. 5.  
Vide etiam decis. 51. dub. 20. n. 5.

[b] Licet. de *Monst.* l. 2. c. 28.

10. Monstrum, ubi humana sit ipsius idea; quamvis membra habeat maximè turpia, etiamsi diabolicam figuram referat; item si aliquibus partibus careat, dummodò non desit caput, sinè dubitatione baptizetur: Apparet enim, certò natum ex ovo muliebri, à virili semine fœcundato.

11. Acephala monstra dicuntur, quæ capite sunt manca; qualia nonnumquam dari, ostendit *Licetus*, [a] aliique. Hæc, quamvis reliqua humana membra possideant, non absolutè baptizantur, cùm desit caput, prima nimirùm sedes animæ rationalis; at non dengatur illis Baptismus conditionatus: Res enim est dubia: [b] Nam fortè internam aliquam habent corpusculi partem, quæ cerebri vice fungatur; præterquàm quòd poterit fortè rationalis anima in corde principatum, si non ad ratiocinium, ad vitalia tamen munia, motumque sytolicum & diastolicum promovendum exercere. In Acephalis non computantur, quæ caput habent, quamquàm sinè oculis & naribus, levigatum & planum, quale fuit à D. *Francisco Paulano Miraculo reformatum*. [c] Celeberrimum inter verè Acephala est monstrum *Bononiense*, quod adhuc visitur, humanum quidem; at sinè capite, sinè thorace, sinè corde, sinè pulmonibus, sanguiferisque

[a] *Licet. ibid. c. 20. Paræus l. 23. c. 7.*

[b] *Cleric. de Bapt. decis. 51. dub. 20. n. 5.*

[c] *Perrimezzi Vita S. Franc. l. 2. c. 2.*

vasis majoribus, imò & nonnullis aliis partibus, à *Vallisnerio*, *Bianchio*, & aliis memoratum, quod vivum ad nonum usque mensem pervenerat. [a] Hujusmodi quaque, si viva egrediantur, baptizanda erunt, præmissa conditione; cùm ex idea corporis ad humanam speciem clarè pertineant, quamvis, quomodo vivant, nesciamus.

12. Si verò, quod nascitur, omni formâ deficiat, Baptismum non tribuemus: Mola enim, vel falsum germen, vel polypus, non Fœtus erit. Difsecandæ tamen, ut suprà monuimus, massæ illæ carneæ, ut appareat, num fortè in se ipsis Fœtum contineant.

13. Sed ad principalem alteram quæstiōnem descendamus: Utrum scilicet anima sit una, vel plures? Hic in memoriam revocandum est, quod alibi diximus; nimirùm, ubi duo ovula maturitatem simul fuerint assēcuta, atrumque eodem tempore à virili semine fœcundari, & gemellos nasci. Quòd si ovulis tenuissimæ secundinulæ casu rumpantur, Embryones, quamvis uterque propriam animam fortè priùs acceperit, viciniores inter se sint, & quandoque ab uteri pressione conglutinantur, atque invicem inseparabiliter crescunt. Id etiam accidere potest in Fœtibus, quorum alter superfœtatione sit genitus. At natus est hujus mali periculum, si duo veri

[a] Bianch. *de Nat. Generat.* p. 245.

gemelli sub eisdem membranulis germinent :  
Eo enim casu de facili monstra duplia oriuntur.

14. Si ergo monstrum duo habet corpora , quamvis unita , quorum unumquodque propriis gaudeat membris , qualia sanè apud *Paræum* observare licebit , dupli Baptismo , eoque distincto , donatur , [a] cùm certè duo sint homines , ac duæ similiter animæ ; nisi imminens mortis periculum , dum utrumque lavamus , unicam formam adhibere nos cogat , dicendo : *Ego vos baptizo* &c.

15. Aliquando in monstro duo capita , duoque pectora conspicuntur , et si cætera membra non sint duplicata : Et hic tamen duplex administratur Baptismus ; [b] cùm ex *Rituali Romano* ambigi non possit , duos esse homines , principalibus membris instructos.

16. Ubi in uno corpore duplex est caput , probabilius quidem censetur , duos esse homines ; verùm , cùm inter Philosophos de hoc non conveniat , unum ex capitibus absolutè , alterum verò cum conditione , *si es alius homo* , baptizatur . Quòd si duo illa capita essent inæqualia , principalius absolutè ; alterum , adjecta conditione , lustrabitur . [c]

17. Si

[a] *Ritual. Rom. & S. Carol. Instr. pro Bapt.*

[b] *S. Carol. ibidem.*

[c] *Clericat. de Bapt. decis. 51. dub. 9.  
n. 6. & dub. 20. n. 5.*

17. Si sub uno capite plura sint pectora, vel etiam corpora, unus esse videtur homo, ut Divus *Carolus* docet. [a] At, cum etiam Acephali vivi aliquando reperti sint, ejus opinio dubitationem patitur. Igitur, ut plerique alii Theologi sentiunt, baptizandum est primò absolute caput; deinde sub conditione pectus illud, quod capiti non correspondet, quodque fortasse poterit ad alterum hominem pertinere. [b] Idem dicendum de Polycephalis, seu plus quam duo capita habentibus. [c] Hujusmodi monstrum cum septem capitibus, cotidemque brachiis *Novaræ* natum A. 1587., aliudque simile *Pordenone* apud *Forum Iulium* A. 1625., dedere *Schottus* & *Aldo-vrandus*. [d]

18. Atque hæc de Baptismate monstrorum summatim dicta sint. Id tamen moneant Parochi, monstra non occidenda, sed Parochis p̄sis accersitis ostendenda, ut ii de Baptismo administrando decernant; &, si opus fuerit, peritos, imò etiam, si tempus forte suppetat, Episcopum consulant. Ubi autem illa rationali animâ informata credantur, neque post ipsum

R

[a] *S. Carol. in Instr. pro Bapt.*

[b] *Clericat. de Bapt. decis. 51. dub. 20.*

[c] *Ex Gobat. de Bapt. n. 276. & Cleric. decis. 47. dub. 9. n. 6.*

[d] *Schott. in Phys. Cur. c. 5. §. 1., 2.*

Baptismum interimenda erunt; sed, si vitalia appareant, ut nani, gibbosi, ac similes, ea Parochi educari jubebunt: Si verò omnino turpia visu, & prorsùs horrifica, quæ quidem vitalia esse non solent, ad summum, jam baptizata, de se mori sinantur, cùm ea positivè perimere nequaquàm liceat. Atque ea ratio fuit, cur in novo *Siculi Regni* statuto [a] expressè de monstris non occidendis, sed Parochio præsentandis, misericordi ac salutari providentiâ sanctum sit.



## C A P U T VII.

*Nascentes Pueros frequenter mortuorum specie apparere, licet reverà mortui non sint.*

1. **E**T si quàm plurima huc usque pro æterna Infantorum salute dixerimus, nescio, utrùm aliquid majoris momenti adduci poterit, quàm quod præsenti Capitulo monituri sumus; eos nimirùm, in partu præsertim difficulti nascentes, planè defunctos interdum vidêri, & aliquando diutiùs, cùm tamen re ipsa vivant, nec nisi continuatis auxiliis ad se redire. Ita Facultas Medica *Wittemberg-*

[a] *Vid. in Append. Monum. 3. n. 13.*

*gensis*, [a] ita *Bohnius*, ita *Brubierius*, ita *Deventerius*, ita demùm innumerabilibus adacti experimentis Obstetrices omnes, medici, atque Chirurgi, qui de partu scripserunt. Juabit hic aliqua ex *Brubierio* collecta exempla summatim attingere. Is tomo primo Infantulum habet, qui nullum vitæ signum præbuerat, quamvis tres à nativitate horas multa in eo excitando pertentata fuissent experimenta, & nihilominùs deinde recuperatus est. Secundo tomo septem alios recenset: His quatuor addit in supplemento, & alibi plures.

2. At ipse nonnulla hujusmodi facta, nequaquam contemnenda, testabor. *Panormi*, non multis abhinc annis Puerulus cùm ortus esset, visus est omnino mortuus; at *Paulus Puccius*, Presbyter & Medicus arte magistra, de hujusmodi mortis veritate nihilominùs dubitans, ipsum sub conditione baptizavit: Et ecce! aqua frigida Sacræ Lotionis aspersa, eumdem continuò revocavit ad vitam.

*Aliæ*, Diœcesis *Cephaledensis* oppido, *Margarita de Michaële*, accelerato ex terrore partu, ac doloribus per biduum productis, 16. Cal. Octobris 1756. Infantem peperit. Is aliquas habebat corpusculi partes planè lucidas; pedes verò atque crura excoriata: Imò ubicumque ipsius cutis attingeretur, dehis-

R 2

[a] In Consult. sup. Process. apud Bohnium de Kelat. diff. 1. Bruhier. t. 2. c. 4.

cebat, & à carne separabatur. Cùm autem nullum interea vitæ argumentum suppeditaret, mortuus Obstetrici non minùs, quàm adstantibus creditus est. Verùm, quia *Stephanus Berardi* Parochus, me insinuante, Obstetrics anteà permonuerat, ne Parvulos nascentes, quamquàm in speciem defunctos, negligenter, sed adjuvare studerent; Parochum accersivit. Accurrens ille Domesticorum animos erexit, & sinistram Parvuli papillam exugi præcepit. Ad hoc ille colorem, pro majori corporis parte album, in obscurum & nigrescentem convertit; deinde in balneum calidum depositus, brachia distendere cœpit, ac motibus indicare præsentis animæ vim. Parochus igitur illum citò baptizat, & umbilicalem funiculum, adhuc ventri adhærentem, torrêri jubet: Quo facto, Infantulus vitæ munia recuperavit. In eodem *Aliæ* oppido *Nuntia Salerno* 7. Cal. Maji A. 1757. tergeminos enixa est. Primum ex his, atque secundum valentes ac vegetos; tertium verò duobus quidem dentibus in superiori maxilla, totidemque aliis in inferiori præmaturè instructum, sed macrum ac lividum. Eum Obstetrix diligentissimè perscrutata, omni pulsatione motuque, ac omnibus vitæ indiciis destitutum reperit: Proindè jam anteà materno in ventre demortuum, & Baptismatis incapacem judicavit. Cùm tamen accurati Parochi objurgationes pertimesceret, post horam ferè dimidiā rem illi denunciari

mandavit. Venit ille, tentataque Parvuli jam gelidi arteriâ, pulsum in ea, quamvis debilem, redeuntem tamen adinvenit; cùmque aliud non haberet ad manus, corpusculum aquâ frigida inspergit. Exinde Parvulus os & oculos aperire, artibusque movêri, ac paulatim convalescere visus: Deinde in Ecclesia baptizatus 12. Calendas Maji, Fraterculis, et si vividi exorti essent, jam antè mortuis, defunctus est.

3. *Neapoli* 3. Nonas Maji 1755. Infantulum, à moriente Matre manu chirurgica extractum, cùm per omnia exanimis videtur, nudum in stabulum Domestici projectant: Medici enim, Sacerdotes, Obstetricesque duos ante dies vitâ spoliatum fuisse, iudicaverant. At eum *Cajetani Bonanni*, Equitis *Hierosolymitani*, quem nominasse laudiisse est, eximia charitas ab *Eustachio Stasutio*, de animarum salute bene merito, mihiique amicissimo, conquiri, & iterum examinari curavit. *Stasutius* in ejus corde duas vel tres tantum pulsationes observavit, corde post eas penitus quiescente. Ipsum igitur baptizavit; sed sub conditione, veritus, ne forte post ultimam pulsationem Infantulus animam exhalasset. At ejus vitæ, dum baptizaretur, duratio non ita multò post evidenter eluxit: Nam ex ipsius fonte pulsatili brevissima oscillatio emersit, quæ tamen post paucissimos ictus disparuit, numquam amplius redditura.

Tria h̄ic possem subjungere exempla *Panormitana*, duorum scilicet Puerorum in stabulo, alterius verò alio in loco projectorum: Sed, cùm præcedenti sint valde similia, quartum, sanè relatu dignius, expromam.

4. *Agrigenti, Benedicta Ingrao*, Villica ex Parochia Cathedralis Ecclesiæ, 14. Cal. Aprilis 1757. temporanei Partūs dolores per horas fermè 21. toleraverat; ac solitæ jam aquæ manaverant, cùm tertia *Italici* horologii horâ sinistrum brachium Infantulus emisit. Obstetrix illud in uterum retrudere conata, cùm nihil consequeretur, & ex hoc ipso difficultatem partūs conjiceret, ac ex motu manūs & digitorum, ex calore, sensu, ac pulsatione arteriæ illius vitam apertè cognosceret, ipsum baptizavit. Reliquum exinde noctis, at frustrà, in dirigendo partu, et si juvenis & robusta, consumpsit: Nam Pueri brachium in uterum reponere nequaquam valuit. Porrò circa horam nonam, cùm Parturiens rigoribus, vomitu, contortionibusque sævisimè divexaretur; brachium verò Parvuli pulsationem, sensum, calorem, & motum amississet, imò gelidum ac tumidum effectum esset: Puerum quidem iam penitus defunctum; Puerperam in vehementi mortis discrimine constitutam censuit. Igitur eam ultimis Ecclesiæ Sacramentis muniri jussit: Quod summo Dominicæ Diëi manè factum est. Deinde, pro violenta Fœtūs extractione, Chirurgum *An-*

*toninum Riccium* advocari mandavit. Is, qui artem suam in quindecim, aut sexdecim hujusmodi extractionibus insigni civitati probaverat, horâ 15. præfatæ diëi venit, & brachii retrusionem iterum, iterumque tentavit; at semper incassum: Præsertim viis jam alteratis, & aquis, ad faciliorem reddendum partum destinatis, multò anteà delapsis. Brachium intreà ipsum observavit gelidum, ac omni sensu, motu, pulsatione privatum: Quocircà & ipse mortuum judicavit Infantem. Nihilominùs, quo situm illius, & latentem fortè vitam diligentius exploraret, manum propriam, summa tamen cum difficultate, intromisit, eamque retulit mechonio conspurcatam: Ac proptereà de Pueri morte judicium fidentius confirmavit. Mater intreà, vomitibus, rigoribus, aliisque symptomatibus adauctis, ad interitum properabat. Igitur Chirurgus ad violentam Parvuli extractionem devenire decrevit: Ac primò, horâ 16. sinistrum illius brachium ad scapulam usque præcidit; & tandem aliquando, post duas contentionis horas, licet ægerrimè, Infantulum extraxit. Egressum omnes, cùm nullum in eo motum vidissent, certissimè defunctum putavêre, quamquam ex materno uteri calore adhuc tepidum; & in cubiculi angulo sepositum dereliquerunt. Chirurgus in ea domo per dimidiā horam Puerperam, ut fit, solatus permanserat: Sed horâ 18. cum dimidia, dum

discessum indè pararet , casu circumspicit , ac motum in scapulis jacentis Parvuli cernit . Quapropter vivum intelligens , pannis calefactis illicò foveat . Exinde apertè ille respirare cœpit . Igitur à Chirurgo iterùm sub conditione baptizatus est , ac vulnere curato , adeò paulò post se vividum & florentem exhibuit , ut modico temporis intervallo , nimirùm ipsius diēi horâ 20. , eum ad Ecclesiam pro Cæremoriarum supplicatione deduxerint . Deinde sensim languescens , ad horam duodecimam feriæ tertiae sequentis æternùm victurus occubuit ; eodem die cum pompa , & populi acclamatiōne sepultus . Ex quibus constat , Parvulum istum sub verè demortui veste per horas fermè novem cum dimidia perstuisse ; nimirùm ab hora nona Dominicæ , usque ad decimam octavam ejusdem cum dimidia , quamvis horâ 16. brachio ipsi truculenter amputato , quod illi mortem creare , vel saltem accelerare debuerat ; nec nisi post quadragessimam secundam ab extractione horam obiisse . Quæ omnia Petrus Antonius Cicero , Cathedralis Ecclesiae Agrigentinae Canonicus & Parochus ( Puerperâ , Obstetricie , Chirurgo , atque Presbytero adjutore suo , quàm diligentissimè ac minutissimè , pluriesque examinatis ) mihi de scripto vehementer mirabundus communicavit .

5. Consonat autem his quotidiana Obstetricum , præsertim diligentiorum , experien-

tia, & non improbabile testimonium. Plures enim ex ipsis mihi sunt fassæ, Infantes, qui primo intuitu veluti exanimis prodeunt, ac deinde sive naturæ solius beneficio, sive adjumentis externis, quamquam leviter, ac veluti superficie tenus ferè semper adhibitis, ad se revertuntur, si putrefactos à computo excipias, majori esse numero præ iis, qui nequaquam amplius ad usuram vitæ resurgunt. Præterea totum hoc Opus consimilibus undique scatet historiis, quæ hallucinatio-  
nis facilitatem in hac materia Lectorum pru-  
dentiæ comprobabunt. [a]

6. Et quidem communia & regularia mor-  
tis indicia sunt privatio motus, respirationis,  
& sensus. Hæc autem non raro in apoplexia,  
lethargo, catalepsi, extasi naturali, simili-  
busque decepere; [b] præsertim vero in syn-  
cope, seu deliquio. Hoc, si perfectum sit &  
validissimum, *Asphyxiam* appellant Medici.  
Porrò, asphyxia nihil est aliud, quam cessatio  
motus in corde, ex qua sequitur cessatio mo-  
tus arteriarum & respirationis: Pallet proinde  
vultus ad cadaveris formam; calor præterea  
fugit, subintrat frigus, & in corpore univer-  
so, perfectè quiescente, mortis imago de-  
pingitur. Cæterum asphyxiæ etiam cum vita  
consistere posse, cum innumeris aliis nostri

[a] *Libr. I. c. 6. n. 5. & 6. & l. 2. c.*  
3. n. 8. & c. 7. n. 3. & alibi.  
[b] *Vide supra l. 2. c. 2. à n. 13.*

fæculi Medicis docent *Boerhavius* & *Hoffmannus*; [a] idque non solum *Harvæi* & *Guarinonii* experimenta, sed ultima etiam ab *Hallerio* facta confirmant. [b] \*



## C A P U T V I I I . \*

*Parvulos nascentes Asphyxiâ crebrò corripi ex defatigatione in nascendo, quo cumque modo nascantur; eosque in Asphyxia vitam præ natis faciliùs retinere.*

I. **A**sphyxia quidem, seu perfectissima syncope nequaquam rara credenda est in adultis, quamquam robusta eorum constitutio validius aëris tempestatibus morbisque resistat. At verò in Infantibus, dum in lumen progrediuntur, est maximè obvia. Sanè notat *Ettmullerus*, syncopen ex dissipazione, vel concentratione spirituum oriri, & eò faciliùs hominem in ipsam delabi, quò flacidioris, rarioris, ac delicatoris erit ille tex-

[a] *Boerhav. Physiol.* n. 42. ubi *Haller.*  
*fol. 54. Hoffman. Medic. Rat. l. I. sect. I. c. I.*

[b] *Hall. de Irrit. & sensib. Part. p. 2.*

\* C. II. in *Arch. probat Auctor à ratione & experientia, vitam sine respiratione, & sanguinis circulatione, saltem apparenti, quandoque subsistere.*

\* In *Archet. cap. 12.*

uræ; vel quò spiritus habebit mobiliores, sedque magis dissipabiles. Porrò sicut nemo anterioris texturæ, spiritibusque agilioribus ræ Pueris nascentibus dici potest; ita difficile est, majorem defatigationem mente compere præ illa, quæ ipsos labefactare solet, dum in lucem prodeunt. Quocircà quæ causæ in adultis, non nisi fortè lipothymiam, seu minorem syncopen inducerent, non difficuler in nascentibus asphyxiā generabunt.

2. Duæ sunt graviores luctæ, quas natura cogit sustinere, mortis nimirùm, & natitatis: In natis quidem, ne vitâ cadant; in nonnatis, ut orientur, vita liberiore fruituri. Certè, nativitas est suprema & præcipua, imò unica functio nonnatorum, in qua omnes orum vires quodammodo exauriri necesse est: Quarè asphyxiæ paroxismus locum sibi indicare valet in omnibus nascendi modis.

3. Sex autem numerantur modi, quibus infantes oriri possunt: Nimirùm primò, per bortum: Secundò, per partum difficultem, sed naturalem: Tertiò, per extractionem chirurgicam, sive manu, sive instrumento aliquo actam: Quartò, per viventis Matris *Cæsaream* sectionem: Quintò, per sectionem similem, sed Matris defunctæ: Sextò, per partum naturalem ac facilem.

4. Igitur ut ab abortu exordiamur; quis non intelliget, hanc nativitatem esse præmauram ac violentam, ac in ingenti illo cor-

poris tumultu, misero Fœtui necessariò maximam spirituum subeundam esse jacturam? Recolite, quæ suprà de Fœtu illo quadragenario diximus, [a] quem Medicus omnino mortuum, ut apparebat, reputans dissecuit, & ritmico motu cordis præditum invenit, ac baptizavit. Idcircò, hic repetendum censeo, quod alibi cum *Florentinio* de abortivis animadverti; nimirū, quò imperfectiores iidem sunt, eò diutiùs quandoque in his deliquiis vitam retinere, idque ex rationibus & experimentis tum *Guarinonii*, tum *Harvæi*; qui addit, illos nunc omni motu carentes vidéri prorsùs extinctos; mox verò cum motu vitales functiones repetere: Quod etiam cum experimentis ab *Hallerio* nuperrimè vulgaris planè concordat.

5. Si verò partus, quamvis naturalis, difficilis tamen extiterit, accidet interdum, ut Infans in oriendi conatibus meconium totum dimittat; & hæc ipsa evacuatio ad inducendum deliquium, licet sola, sufficiet: Id enim ex *Ettmulleri* doctrina, generale est in dejectionibus copiosis.

6. Verùm, et si non omnes parvuli meconio ante ortum exonerentur, evidens tamen est, omnes, propter immanem defatigationem ex partu difficulti, parvo negotio, ut habet *Stephanus*, [b] in perniciosissimam

[a] L. 1. c. 6. n. 6.

[b] Steph. de Partu difficil. l. 3. c. 1.

yncopen labi posse, & exanimis se ostendere: Ac multò magis, ubi tanta fuerit difficultas, ut ad operationem chirurgicam, sive manu, sive instrumento, sive etiam Matris iventis sectione faciendam, configere oportuerit; quod ex propriis experimentis & *Hortius*, & *Schenchius* expressè monuere.

7. Quodsi de Partu *Cæsareo* Matris deunctæ sermo sit, quis ignoraverit, eâ mente, deficere illi maternorum spirituum adamentum? Cùm igitur ipse, aliquatenus saltem, Prægnantis morbo debilitatus meritò apponatur, facilè delabetur in syncopen. Id monitum legitur tum in Edicto perpetuo roto-medici *Siculi* de Partu *Cæsareo*; tum in Edicto *Pactensis* Episcopi, de eadem quòde materia statuentis. \*

8. Quid verò dicendum, si Puer natuli ac facili partu egrediatur? Prima facie idetur, eum, ubi mortuus appareat, pro erè mortuo judicandum; sed contrà: Nam in casu multò magis, quàm aliàs, cum fundamento sperandum erit, illum reipsà vivere.

9. Et profectò, præterquam quòd aliquando, etiam in partu facili putato, Infans nascendi in impetu mechonium dejicit, quod immi laboris indicium est; considerandum it etiam, puerperii actionem magis à Filio, quàm à Matre pendere. Et quidem Par-

\* In Append. Archet. Monum. 5. & 10.

vulus est, qui justa magnitudine adauctus, & perfectis jam respirationis instrumentis, materni carceris angustiâ premitur, & aërem quærit liberiorem: Ille est, qui copiosiori indiget alimento: Ille tandem est, qui à mechonio, inter ejus viscera congesto, sollicitatus, ad egressum festinat; quâpropter januam vi sibi aperit, & effræni se jactans impetu secundinas dilacerat, viam sibi parat, & foras erumpit: Unde necessariò sequitur, eum usque ad tempus, quo postremos edidicimus, fuisse in vivis. Igitur si paulò post in ortu apparet exanimis, verosimillimum quodque est, ejus labefactionem à syncope, non à morte provenire: Cùm enim non fiat ab extremo ad extremum transitus absque medio; credendum est, Pueros è vita ad mortem non traduci sinè aliquo statu intermedio perfecti deliquii, de utraque nimirum participante.

10. Neque objicias, facilem partum non debuisse tam gravem syncopen inferre nascenti: Nam, cùm in quibuscumque puerperiis, etiamsi particulares Matris circumstantiae illa reddant faciliora, Fœtus laborent; juxta varias eorum dispositiones, poterit labor inse minor Infantem omnino spiritibus depauperare, & effectum adeò funestum post se trahere, qui fortasse in aliis à conatu valde majori non traheretur. Præterea & alia subestatio pro partu regulari: In hoc enim Infans,

dum lucis ostia pulsat, prono capite in exitum nititur, ejusque cranium, cæteroquì molle, à viarum angustia ita interdum initio premitur, ut, quamquam partus è facilitioribus existimetur, tumido, & veluti contuso capite nihilo minus oriatur. Presso capite, comprimi simul potest nervorum paris octavi, seu vagi truncus, qui juxta sinus laterales duræ matris egrediens, & œsophago adhærens, per collum & thoracem ramulos suos ad laryngem & pharyngem, & ad pulmones & cor, cæteraque majoris usus organa distribuit, quæ consequenter debita spirituum, seu succi nervei irradiatione fraudantur; et ecce! asphyxiæ paroxismus. \*

11. \* Igitur præsumendum est, Infantem, qui nascendo sub specie mortui egreditur, si à putrefactione, ejusque principio comparet immunis, & nullo valde lethali vulnere saucijs; sique nullum aliud indubitabile mortis signum intercedat, præsumendum est, inquam, potius esse profundiori deliquio seu syncope, ex nascendi anxietate & contentione absorptum, quam verè defunctum.

12. Et profectò possimus vel à causis repentinis, vel à morbis regularibus vitâ spoliari: At Infantes, dum in utero latent, huic secundæ malorum speciei, quæ scilicet ab

\* In Archet. c. 13. *speciales exponuntur causæ, ex quibus Parvuli nonnati magis, quam nati, asphyxiæ subjiciuntur.*

\* In Arch. c. 14.

intrinseco manant, non admodum obnoxii reputantur; maximè, si perfectionem adepti, jam partui sunt maturi: Nam, si causa fuerit ipsis intrinseca, usque ad nativitatis tempora non pervenient; sed per abortum multò priùs exhibunt, uti quotidiè in conceptionibus vitiōsis, & prava solidorum & liquidorum Fœtūs constitutione videmus.

13. At, si Parvulus jam à natura corroboratus, usque ad puerperii diem creverat, neutiquam timendum est, eum ab intrinseco lethalem ægritudinem contraxisse, ac talem ægritudinem, quæ pari passu cum graviditate semper incesserit; ita ut & ista, infirmo nativitatem, & illa, mortem unà simul attulerit. Sanè nonnati aëris inclemētiæ, ac tempestatum variationibus non subduntur; in diēta non errant; ab animi pathematibus eximuntur; alimenta ingerunt adeò antè præparata, imò digesta, ut excrementis ferè careant; liquidorum in ipsis motus blandus ac temperatus; per omnia denique naturæ magisterio gubernantur: Quapropter, ubi vitâ deficiunt, id non ab interno aliquo malo, sed potiùs ab externo, & à Matre saltem proveniente contingit; putà ex ejus ab alto ruïna, ex terrore, vulnere, aut alia simili calamitate, vel ex ejusdem gravi morbo, seu morte naturali, aut violenta.

14. Porrò nonnati non solùm antedictis privilegiis gaudent, quorum præsidio ægritudines

dines ab intrinseco suborientes facilius evitant; sed aliis etiam, quibus in lethalibus ipsis deliquiis multò commodius à mortis jactulo, quam nati, proteguntur.

15. Et primò, in natis respiratione cefante, cessat etiam sanguinis circulatio, cùm hic transfire per minima pulmonum vascula sinè aëris ope nequaquam possit: Quapropter syncope, quæ respirationem prohibet, eos facilimè præfocabit. Non idem est de nonnatis, in quibus ejusdem sanguinis circulatio, pulmonibus prætermissis, aliis omnino viis manifestè peragit; per ovale scilicet foramen ductumque arteriale. Poterit ergo in nonnatis, qui asphyxiā occupantur, facilis, quam in natis, circuitum suum prosequi sanguis, lentissimo saltem decursu, respirationis defectu nequaquam obstante.

16. Præterea, etsi morbus iste adeò vehe mens ingrueret, ut non solùm omnem cordis motum, omnemque, licet insensibilem, sanguinis circulationem, à systole & diastole cordis dependentem, interrumperet; sed illam etiam, quæ per arteriarum atque venarum fibras musculares fieri potest: Nihilominus in his ipsis circumstantiis nonnatorum vita diuilius, quam natorum, cum morte conflictatur. In natis quidem aëris rigiditas citò corporis calorem, & consequenter intestinum sanguinis motum restinguat; nec solùm humorum segerationem prohibet, sed & insen-

sibilem quòque transpirationem , naturæ à particulis excrementitiis exonerandæ prorsùs necessariam : Imò paulatim liquores ipsos cōagulat , ac ad intermissam circulationem resumendam reddit ineptos : Quodque pejus est , in eosdem præternaturalem & vitiosam quamdam fermentationem , corruptionis & mortis genitricem , inducit . Verùm in non-natis quamquàm deliquio afflictis , maternus uteri calor motum sanguinis intestinum conservare potis est ; nec ipsi aëris actioni subjiciuntur , ex qua funesti hujsmodi effectus emanant . Quocircà diutiùs & faciliùs in vita poterunt conservari præ natis : Aér est enim ex *Verulamio* aliisque Philosophis , tum consumptionis , tum corruptionis insigne maximumque principium ; compositi nimirùm particulas deprædando & agitando : Et hæc est causa , cur aliqui Fœtus in Matris ventre , quasi balsamo vel oleo immersi , quamquàm verè mortui , mirè incorrupti permaneant .



## C A P U T I X. \*

*Signa mortis in nascentibus esse regulariter incertissima.*

1. **C**um igitur tam rationabilis, ac fundata suspicio subsit, Infantem, qui aſcendo mortuus appareat, esse tantum aſphyxiā oppressum; pro comperto censeri debet, communia mortis signa ad exanimationis ſubium extricandum nequaquam ſufficere. Si nim in adultis hāc ſuprema syncope defixis am ſæpe fallunt, quātò magis in hujusmodi infantulis ambigere licet, eſſe mendacia? Ad m̄nem igitur dubitationem elimandam, ne- eſſarium omnino erit, ut ad alia indicia diſuirenda dirigamus obtutum.

2. *Brubierius* in ſuo celebri Libro generatim opinatur, ſolam putrefactionem eſſe mortis characteristicum ſignum: Præſertim in vnopticis, apoplecticis, catalepticis, ſuffocatis aquā, laqueo, vel fumo carbonum: Item exſtaticis, de Cœlo tactis, ac ſimilibus, quibus expreſſè adjungit Infantes, qui ſubtum omnino exanimis videantur. [a] Tota

S 2

\* In Arch. c. 15.

[a] Bruhier. t. 1. in Idea Statuti in fine l. 580. & t. 2. c. 4. fol. 282.

Medicorum Schola fatetur quidem, in syncopticis aliisque memoratis, regularia extinctæ vitæ signa pro incertis habenda esse: Non omnes tamen Medici *Brubieriv* adstipulantur in affirmando, putrefactionem esse unicum indubitatae mortis indicium. Profectò ejus antagonista *Lovisius*, cuius sententiam superiùs amplexi sumus, etiam pro repentinais morbis adstruxit, alia quòque signa mortis characteristicā inveniri. Verùm hæc ipsa regulariter in Parvulis, dum oriuntur, pro certis judicari non possunt. Idcirco nisì aliqua specialis urgeat circumstantia, putà enormis corpusculi contusio, vitalis partis mortifera vulneratio, vel quid simile, quod cum vita componi sit impossibile; tenenda erit favore Parvulorum *Brubierii* doctrina, cui, quò ad hanc partem, neque *Lovisius*, neque alii refragantur.

3. Sanè alio in loco diximus, natorum mortem in subitaneis post aliquod temporis spatiū ex membrorum rigiditate, præsertim frigori & ponderi conjuncta; ex panno vitro oculis innascente, ac ipsorum oculorum flacciditate posse procul dubio comprobari. Ea enim, juxta *Lovisium*, sunt certissimi veræ mortis effectus; quàpropter, si in Infantibus cum privatione sensūs, motūs, ac respirationis copulata invenirentur, pro morte sententia ferenda esset. Verùm, etsi supponamus, Parvulum pluribus ante ipsius ortum

horis fuisse in utero exanimatum, hæc ipsa in eo deprehendi nequirent. Et quidem nequit in eo observari frigiditas; materni enim uteri calor Infantis cadaveri calorem conservat, & certè impedit, quò minus frigus, nisi post nativitatem, & cum aliqua temporis nora subintret: Atque hic ipse calor communicatus à Matre, simili ratione rigiditatem, nimiumque pondus impediet; imò corpusculo flexibilitatem mollitiemque tuebitur: Et profectò hujusmodi Parvuli mollitie gossipium imitantur.

4. Scripsit quidem nonnemo, Fœtum in utero mortuum ibidem frigescere; sed præter allatam rationem ei contradicit experientia. *Francisca Diez* Obstetrix mihi narravit, e quinque Parvulos non solum extintos, sed putrefactos quinque partibus enixa: Nunquam verò (etsi satis in arte perita & sagax illa sit) hujusmodi frigus percepisse. Quocircà, si quando Pueri exanimes certè nati, frigidí observati sunt; hoc frigus non in Matris utero, nec in ipsa morte contraxerunt, sed extra, & cum aliquo temporis intervallo: Paulatim scilicet calore ipsis à Matre communicato, defervescente. Cæterùm, etsi aliquando frigidus ab initio exiret Infans, nihil impediret, quo minùs ejus frigiditas asphyxiæ, similiter ut in natis, attribui possit. Quia verò Fœtus clausis oculis vivere solitus est, nequibunt oculi sub ipsum ortum passi

flaccidique apparere, neque tam citò vitreum pannum exerere, qui natis in ipso mortis agone formatur. Prætereà nonnati sive in abdomen, sive in utero manentes, vel ex toto, vel magna saltem ex parte, ab aëris actione proteguntur, quod ab ipsis corruptionem, aliquando saltem, arcere consuēvit.

5. Dices, *Paræum* [*a*] existimasse Puerum, ubi moriatur, propter calorem & humiditatem faciliùs in utero corrumpi, quàm extrà. Verùm respondeo, id ex antedictis vidêri falsum, aut saltem non esse semper verum: Cùm non semper ipso instante partu, aëris actio in corpuscula, propter variam eorum dispositionem, ad corruptelam excitandam sufficiat. Sit autem perpetuò verum; quid indè? Ex hoc ipso propositio nostra validissimè firmaretur. Si enim corruptio in nonnatis tam promptè sequitur mortem; ii, qui neque corrupti sunt, neque aliquod habent corruptio-  
nis initium, de quibus tantùm assertio nostra procedit, probabiliùs censendi sunt vivi. Ni-  
gredo ipsa, scilicet livor, qui in natis vehe-  
mentissimum inceptæ putrefactionis est argu-  
mentum, in his, qui nascuntur, non nisi om-  
nino æquivocum reputatur.

6. Nam ut de violenta uteri compressione taceamus; ingens exeundi conatus, ac viæ tentandæ inverso capite labor, satìs est ad

[*a*] Paræus l. 23. c. 25.

magnam sanguinis copiam in ipsum caput congregandam, ex quo livor in facie necessariò consequitur. Id certè non dissimili ratione quotidiè experimur in iis, qui laqueo suspenduntur. [a] Sanè ego ipse plures inspxi Parvulos, funesto illo colore deformatos, qui tamen certissimè clarissimèque vivebant:

7. *Panormi* 3. Cal. Decembris Anno 1756. abortivum Fœtum dedit septimo nondum expleto mense, *Rosa Balestrina*, morbo regio ante sex dies laceffita. Filiolus emensus est vivus: Totus tamen ulceribus ac livore vestitus cum pustula in genitalibus, qui recepto illicò Baptismate, per horam exinde supervixit. Prætereà, *Maria Vesca* eodem anno, & ibidem ante sextum graviditatis mensem hæmorrhagiam passa est à 13. Cal. Maji ad tertium Cal. Mensis ejusdem: Quâ deinde maximè adaucta, ligatis venis, Ecclesiasticis munita fuit Sacramentis, Medicis interea Fœtum periisse judicantibus. Attamen Calendis Maji exivit Puella: Hæc tota livida erat ac tumefacta, fronte insuper excoriato, & bunculo sub axilla sinistra elato, etsi non maturato: Et quamvis fœtore cadaverico reverà careret, ventrem tamen ostendebat variis lineis ulceratis distinctum, quasi jam ex putrefactione dirumperetur. At quamvis ex his omnibus mortua vidéri posset, ex pulsu ta-

S. 4

[a] Bruhier. t. 2. c. 3. fol. 239.

men arteriarum umbilicalium, totiusque corporis motu manifestè vivens agnita, & baptizata, non nisi post horæ quadrantem excessit è vita.

8. Hic verò duo prorsùs necessaria monenda ducimus: Primum est, quandoque fœtorem à materno sanguine livoribusque uteri putrescentibus, non à Fœtu corrupto provenire: Idque in causa est, cur interdum Obstetrics mortuum Fœtum arbitrentur, qui deinde vivus egreditur; quod certè maximè præ oculis habere oportebit.

9. Secundum est, partialem vivorum gangrænam, quâ ex aliquo casu fortè laborat Puer, quæque ad fœtorem inducendum satis est, & olim fecellit *Hildanum*, [a] esse à mortuorum putrefactione distinguendam. Porro ex *Lovisi* doctrina sunt illæ penitus diversæ. *Gangræna enim sicca in mortuo dari non potest*: Nam neque calor in eo viget, neque vasorum actio, quibus humores durescere, & in massam solidis homogeneam converti valeant, quæ crustam gignit, quam escharam nuncupamus. Putrefactio verò mortuorum corpora invadens, est semper gangræna bumida, species nimirum, sive initium dissolutionis, ac valde differt ab illa, quæ vivum corpus aggreditur. In vivo enim observatur quædam


[a] Suprà l. 2. c. 13. n. 3.

sumefactio, tensio, ac rubedo, quæ mortuam partem separat à vivente. Cuticula à cute divellitur, vesiculasque producit serositate refertas. Contrà tamen in mortuis neque tensio, neque rubor appetet; cuticula crispatur, cutis initio pallet & coloris evadit cinericei, albi scilicet obscuri. Mutationes deinde subit majores; cæruleum enim obscurum induit, & vergentem ad viridem: Postea cæruleum obscuriorem, & ad nigrum inclinantem, qui sese visibilem ex cute præbet, quæ & ipsa tandem hunc ultimum colorem assumit. Hæ notæ à naturæ ipsius observatione desumptæ sunt: Huc usque Lovisius. [a]

10. Ex defectu igitur distinctionis hujusmodi gangrænarum, *Fabritius Hildanus* Infantem ulcere in capite infectum ac fœtidum, pro mortuo extraxit, quem deinde vivum invenit.

[a] Lovis. *de cert. Sign. Ep. 5.* fol. 164.





## C A P U T . X.

*Remedia tentanda pro Parvulis, qui  
mortuorum speciem imitantur.*

1. **S**i Parvulus igitur veluti exanimis apparet, non ideircò derelinquamus ipsum; sed omni contentione & industriâ recreare tentabimus. Plurima sunt remedia usitata Obstetricibus ad Pueros, qui moribundi exeunt, confortandos. Ea ipsa illis, qui mortui omnino videntur, putanda sunt æquè salutaria. Item quæ ad mulieres passione histerica, vel simili subitaneo malo depresso, restituendas jam suprà notavimus, magna saltet ex parte, etiam in casu de quo nunc agimus, experienda censemus. His nihilominus nonnulla subjiciam, quæ pro Parvulis, mortuorum figuram præ se ferentibus, efficacissima existimantur.

2. Atque ante ominia insufflari poterit per tubulum in Puerorum os humanus halitus calidus. [a] Obturbanðæ sunt verò interim narres, ne immissus aër per illas erumpat ac fugiat: Aër enim calidus, & à pulmonibus

[a] Grubel. in *Miscel. Nat. Cur. dec. 2.*  
*a. 10. observ. 44.*

hominis bene valentis exclusus, virtute præstat  
instaurandi motum cordis atque pulmonum:  
Spiritibus enim est plenus, ad spiritus in cor-  
pore Puerorum torpentes exsuscitandos, prop-  
ter naturæ similitudinem, aptissimus. Hoc re-  
medium ob felicissimos eventus valde carum  
& familiare habent Germanæ Obstetrices,  
præsertim *Altemburgi*.

3. Secundò, prodest mammarum pâpillas  
in Parvulo fugere: Sensu enim sunt exquisi-  
tissimo, ac mirum in modum spiritus anima-  
les irritante: Nervi prætereà mediatè cum  
plexu cardiaco & pulmonario communicant,  
& consequenter cum ramificationibus nervo-  
rum paris octavi, seu vagi, vibrationesque  
proinde suas cerebro transmittunt, universæ  
corporis machinæ quamdam veluti concus-  
sionem inferentes. *Hannemannus* [a] tres  
Obstetrices exhibet, quæ prospero successu  
hoc subsidium in septem Infantibus, quorum  
vita nullo indicio prodebatur, adhibuerunt.  
*Hannemanno* concinit *Ledelius* [b] bina si-  
milia exempla, de Pueris, quorum nulla erat  
præsentis vitæ suspicio, subministrans. Sinis-  
tram papillam ultra montes exfugere solent  
Obstetrices: Arbitratur tamen *Brubierius*,  
dexteræ suctionem pari modo profuturam.

[a] Hanneman. *Ephim. Nat. Cur. dec. 2.*  
a. 5. *observ. 121.* & *Miscell. dec. 2. a. 7.*  
*observ. 67.*

[b] Ledel. in *Miscel. Nat. Cur. dec. 2.*  
a. 6. *observ. 69.*

4. Tertiò , plantas pedum sollicitare penicillo , quòd etiam in adultorum deliquiis Medici laudaverunt. [a]

5. Quartò , calentis aquæ bålneum , additis aromaticis malorum *Affyriorum* , vulgò aurantiorum , rosmarini , lauri , ac similiūm herbarum frondibus , vino aliisque spirituosis liquoribus ; in quo balneo collo tenùs Puerulus immergatur. [b] Juvabit etiam simplicis aquæ frigidæ , præsertim gelidæ , aspersio : Ea enim non solùm quotidiè syncopticos excitat ; sed non semel & Infantulos , & adultos , verè defunctos creditos , à veterno illo mortis excussit.

6. Quintò , prope Parvulum ipsius placentam , secundinas , funemque umbilicalem comburere : Cùm enim Fœtûs paulò antè fuerint partes , quæ illius venas arteriasque in se implantatas , ac ejusdem sanguine spiritibusque refertas , continebant ; si spiritus isti jam ignis virtute acuantur & exalentur , Infantem exsuscitabunt. Præstat autem funiculum umbilicalem ab Infante non recidere : Ita enim , propter immediatam vasorum communicacionem , remedium celerius ac tutius operabitur.

7. Sextò , fumus tabaci in intestina ( utrì fit in submersis & apoplecticis ) introductus :

[a] Deventer. *apud* Bruhier. t. 1. c. 2. §. 2.

[b] Chundeman. *Acta Nat. Cur.* t. 2. obser. 150. Bruhier. t. 1. c. 1. §. 8. n. II. fol. 205. & n. 12. fol. 206.

Irritat enim eorum peristalticum motum, qui diaphragmati, pulmonibus, & cordi participatur: Et ecce! sanguinis circulum, aërisque alternum accessum & recessum brevi restitutos. Peculiare instrumentum coriaceum ad id *Britanni* excogitârunt, cuius imaginem dêre *Bartholinus* atque *Lovisius*; utilius autem commodiusque reddidit *Mussembroecchius*: Nam quò calidior intrabit fumus, eò erit efficacior. [a] Huic instrumento, si deficit, aliud valde simile substituetur, nempè tubulus, quo ad tabaci fumum inspirandum utuntur, vulgò pipa: Sed tunc afflabit Obstetrix ex parte foci, papyro forata coöperti. Poterunt quòque subrogari duo hujusmodi tubuli, unus integer; alter verò detracto foco: Primus etenim, ad fumum attrahendum; secundus, ad eumdem in intestina immittendum adhibebitur.


8. *Siculæ* Obstetrices, gallinæ viventis rostrum in Infantis intestinum introducunt, eam, ne fugiat, detinentes: Quod fortasse à Ciconiis, juxta relata nimirùm à *Fulgosio*, desumptum est. [b] *Francisca Diez* Obstetrix, de qua suprà, sextum Filiolum pepererat sinè motu, sinè respiratione, sinè pulsu. Gallinam nihilominùs modo prædicto applicuit, secun-

[a] Joly apud Bruhier. tom. 2. c. 1. fol. 188. & Bruhier. dicto t. 2. c. 6. fol. 383.

[b] Fulgos. l. 1. c. de Avid. miral. Bruhier. t. 1. c. 2. fol. 132. & seq.

dinas, placentam, & umbilicalem funiculum non resectos à Fœtu, in tegano aptavit & frixit, eumque mirabiliter liberavit.

9. Propterea pro re habeo indubitata, majori numero detegendos fore vivos Fœtus, qui sub mortuorum larva oriuntur, si in usum prædicta, & similia tentamenta venirent. Oportet autem (quod Medici de submersis monere solent) animum non remittere, si quando res non citè succedat ex voto; sed per duas, tres, imo quatuor horas remedii insistere, si verè Infantorum salutem inquirimus: Non enim defunt exempla id egregiè confirmantia. \* Imd Brubierius [b] ad octo dies, & amplius curationis tempus extendit, eamque dimitti prohibet, quo usquè insurgat putrefactio; quæ ipsi (ut diximus) unicum est amissæ vitæ indubitabile signum.



## C A P U T X I.

*Utrum Baptismus conditionatus conferri possit Infantibus, de quibus juxta dicta suspicari possumus asphyxiā detinéri?*

1. **Q**uae cùm ita sint, oritur indè dubium, utrùm Parvulus, qui nascendo mortuus appareat, si non est contusus, lacer, aut vulneratus, vel corruptus, neque

\* Ea vide in Archet. c. 16. n. 9. & 10.  
[a] Bruhier. t. 1. c. 1. §. 7.

corruptionis præ se fert initia , nec aliud habet indubitabile mortis indicium , veniat juxta peritarum Obstetricum praxim sub conditione baptizandus ? Et affirmandum censeo : Ob prædictas enim rationes , \* tot experimentis comprobatas , dubium subest non mendicatum , neque remotum , sed prudens , verèque probabile , Infantem hujusmodi non esse mortuum.

2. Oporteret profectò veritatem , utì suprà dictum est , per experimenta disquirere & extricare : Sed id in præsenti themate locum obtinere non poterit : Periculum enim est in mora . Quocircà , si priùs tam exactæ probationes faciendæ essent , ac posteà , dato aliquo vitæ indicio , hujusmodi Infantes baptizari deberent ; non pauci eorum , recipiendi Baptismatis elapsa opportunitate , inexpiati decederent : Nascientium enim egressio in liberum aërem , sicuti vitæ conditionem mutare valet in melius , eosque relevare ; ita potest & in pejus convertere , eosdemque penitus interimere : Non enim novum est , flamas nunc à spirantibus auris fovêri & extolli ; nunc verò prorsùs extingui . Expedit ergo , ut , antequam prælau-data remedia adhibeantur , Pueros , ob prudens eorum vitæ dubium , sub conditione baptizemus , ipsorum recreationem , si fortè bene cedat , paulò pòst commodius aggressuri .

\* Vid. etiam in Append. Arch. Additionem ad c. 23. l. 3. , ubi de hac materia amplissime agitur .

3. \* *Rituale quidem Romanum, in Titulo de Baptizandis Parvulis, nihil de præsenti casu disponit; sed tantum præcipit, dandum esse Baptismum, ubi Puer in partu periclitetur, & motum vitalem ostendit.* Sanè motus iste vitalis est motus ab intrinseco, e. g. pulsus arteriarum, à motu nascendi, quo necessariò Infantes omnes, quamvis defuncti, moveri solent dum actu egrediuntur, planè diversus: Nemo enim oriri poterit sinè aliquo motu, qui à Matre saltem parturiendi contibus communicetur. In hoc autem Baptismate, *Rituale non apponit conditionem, si tu es vivus:* Ubi enim vitalis inest motus, de vita non erit ambigendum. Cùm igitur nihil statuat de Baptismate Parvulis concedendo, ubi de eorum vita oporteat dubitari, rem ipsam Theologorum & Medicorum judicio permittit.

4. Et è Medicis quidem feligo *Brubierium*, qui præ cæteris materiam de mortis indiciis copiosius pertractavit. Hic generaliter monet, omnibus, qui repentina aliquo malo mortui videantur sinè characteristico mortis signo, præsidia spiritualia esse tribuenda. In his autem expressè recenset Pueros, qui sub defunctorum figura in lucem prodeunt.

5. Quod

\* *In Archet. caput 10.. ubi, sicut & capite 9., suam sententiam, de conditionato Baptismate hujusmodi Parvulis tribuendo, ex Medicis & Doctoribus, præsertim Feifoo, confirmat Auctor.*

5. Quod verò ad Theologos: Hi in universum clamant, ubi necessitas urget, & ministrandi Sacramenti valor est dubius, debéri illud sub conditione ministrari, cùm magis expediat homini vel dubio auxilio succurrere, quām nullo; præponderante scilicet hominis probabili utilitate, probabili Sacramenti frustrationi. Quòd si hæc prudens resolutio \* locum sibi justissimè vindicat, etiam in absolutione adultis tribuenda, ubi suspicio viget asphyxiæ, prout volunt Theologi; [a] quantò magis admittenda veniet in Baptismate Parvulorum? Et quidem adulti fortasse Divina Gratiâ prædicti sunt; quo casu non erit ipsis absolutio ad animæ salutem necessaria: Si verò sint peccatores, ad absolutionis validitatem oportet, ut internis Pœnitentiæ actibus disponantur, eosque præterea aliquo exteriori signo manifestent: Quæ omnia ex defectu temporis, morbo nimirùm quandoque repentinè irruente, præstare fortasse nequierunt. Quòd si sensibus internis utantur, non prorsùs necessaria erit absolutio: Perfectæ enim contri-

## T

\* In Arch. c. 19. n. 3.


[a] Hier. Florentinus de Hom. dub. disp. 2. sect. 6. n. 5. & disp. 4. sect. 14. n. 9. &  
20. Concinna Theolog. Christian. Dogmat. Mor. tom. 9. l. 2. de Sacrament. Pœnit. diff. 3. c. 1.  
n. 11. q. 3. Antoine Theol. Mor. tract. de Pœnit. c. 2. n. 4. Sporer Theol. Mor. Sacram. l. 3. p. 3. c. 5. sect. 4. q. 2. §. 4. n. 4. & alii.

tionis remedium illis ad justificationem sufficit. Verùm Infantes, de quibus agimus, Divina Gratiâ indubitabiliter carent, neque illis eâdem potiri concessum est, nisi per Baptismi susceptionem. Pro hujus autem Sacramenti validitate, actibus propriis neque exterioribus, neque interioribus indigent: Requiritur tantùm, quod vivi sint, ut cum Baptismo gratiam, &, si ante rationis usum deinde obeant, æternam beatitudinem consequantur.

6. \* Materiam de Parvulis, hoc & præcedentibus Libris comprehensam, sequenti monitione concludimus; nimirùm eos, si sinè Baptismate sint mortui, nihilominus pro sepultura ipsa profana semper ad Parochos esse deferendos, uti *Syracusana Synodus Marini Anno 1727.* imitando certè Decreto sancivit: *Ne Infantium sinè Baptismate decedentium superstitionibus deserviant membra; Obstetricibus, Parentibus, aliisque, ad quos spectat, districte præcipimus, ut integros, & non mancos, aut mutilos deferant ad Parochos, eorum sepulturam in tuto secretoque loco curaturos.* Æquum enim est, ut, quandoquidem cum CHRISTO regnare, ac Vasa gloriæ esse nequivere, ne saltem adversùs Creatorem suum, velutì diabolicæ nequitiae instrumenta, nova infelicitate adhibeantur.


\* In App. Arch. citata addit. n. 13.

\* C. 20., 21., & 22. in Arch. digressionem habet Auctor de submersis & naufragis.



## LIBER IV.

De Dei Charitate erga Nonnatos , deque auxiliis , quæ illis à Parentibus , Parochis , Episcopis , & Principibus præstanda sunt.



## CAPUT I.

*Quomodo Deus Parvulis in utero clavis media ad salutem æternam providerit.*

II. **C**um ante aliquot annos immanis marmorea columna , *Panormum* transferenda , casu in itinere confacta esset , ac plurimas propterea ex ea columelas Dominis exscindere placuisset ; opifices illam dissécantes viventem vermiculum in ejus interiori cavo repererunt : Nec umquam eluxit ,

quomodo ibi & progigni & nutriri, vel aliunde irreperere potuisset. Id certè philosophica *Genialium Academicorum ingenia exercuit*, & unà fecit, ut summa Dei Providentia cunctos in suâ admirationem desigeret. Si enim tam accuratè Deus irrationabilibus creaturis consulit, quæ non nisi tenuissimæ illius umbræ dicendæ sunt, quàm accuratiùs hominibus prospicit, ad imaginem suam creatis, & ad Cœlestem adoptionem hæreditatemque destinatis? Ipsius profectò erga nos amor, non solùm præ constantia paternus; sed etiam præ teneritudine plùs quàm maternus meritò est appellandus. Quarè, si tam districtè præcipit Matribus, ut Fœtûs, quem utero continent, solicitudinem gerant; legem hanc ipsam sanctissimam non servabit, qui in omnibus se præbet exemplum perfectissimæ charitatis? Et reverà, per *Isaiam* ita locutus est: [a] *Numquid oblivisci poterit Mulier Infantem suum, ut non misereatur Filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

2. His ergo præmissis, cùm certum sit Baptismi remedium non prodesse Infantibus, nisi per nativitatem saltem, ut ajunt, partiale & inceptam, vel per abortum, aut *Cæsareum Partum* editi sint; videamus, utrum infinita Dei Misericordia modum aliquem pa-

[a] *Isai. 49. 15.*

raverit, ad Puerulos illos ab æterna morte liberandos, qui nec ullo modo sunt nati, nec per incisionem extrahi possunt, & tamen grave periculum subeunt, ne sinè Baptismate moriantur? Quod quidem eum disposuerit, ambigendum non est; idque pluribus Divinarum Scripturarum testimoniiis Libri tertii Capite quarto probavimus. Etenim & hi parvuli sunt *Adæ filii*, ea maculâ deturpati, ad quam sanguine suo diluendam Redemptor advenit; propterea cum aliis omnibus in generali illa propositione, *vult Deus omnes homines salvos fieri*, manifestè comprehensi. Quæ verba, cùm à sincerissima illa & immensa Bonitate procedant, nequeunt esse nisi verissima & fidelissima. Difficultas tantùm residet in explicanda ratione, quâ eadem Bonitas, quæ omnipotens simul est ac sapientissima, tam misericordis consilii executioni consuluit.

3: *Bellarminus* quidem, *Suarez*, & alii sensere, Deum institutione Sacramenti Baptismatis providisse, cuius tamen applicationem à concursu & occursu causarum secundarum naturalium & liberarum, quæ Parvulos ante ortum occidendo, Baptismo viam præcludere possunt, pendere voluerit; ita ut, quantum ad se pertinet, eorum æternam salutem efficacissimè velit, dummodò impedimenta non obsint: Impedimenta vero ista, quamvis à Deo prævisa, nullatenus tamen esse ab eodem intenta, sed ob alios tantummodò altissimos

fines inscrutabili decreto permissa. Verùm , cùm hæc sententia , nasci quandoque impedimentum à causis naturalibus , quæ liberæ non sunt , sed necessariæ , patenter admittat , non videtur salvare , uti dēbet , concedi Pueris omnibus auxilia reverà sufficientia ; sed interdum aliquibus remotè solùm præparari.

4. Hæc objectio impulit *Vasquezium*, [a] ut apertè diceret , Deum quidem maximè consuluisse Pueris , qui materno in ventre Parentum negligentiam dispereunt ; non tamen iis , qui ex sola naturæ debilitate moriuntur. Hanc opinionem ipse veram , & magis communem appellat ; sed immeritò : Contrarium enim scribit *Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus* , [b] *Vasquezii Coætaneus* , & in Perfectione Christiana S. *Francisci Salesii Discipulus* , ac S. *Vincentii à Paulo Magister*. *Duvallius* , inquam , cuius doctrinam non minùs , quam pietatem *Salesius* mirabatur , magis communem , magisque fundatam vocat sententiam aliam , mihi sanè gratissimam , quæ verè Deum omnibus Infantulis auxilia sufficientia ordinasse , propugnat ; eamque similiter *Viva* testatur hodiernis Theologis maximè acceptam. [c]

5. Verùm in quonam auxilia illa consistunt ? Creditur Deus æternam Infantorum

[a] *Vasquez. p. p. disp. 69. c. 2.*

[b] *Duvall. tom. I. de Grat. n. 407. & seq.*

[c] *Viva in Propos. 4. & 5. Alex. 8.*

salutem Parentum precibus annexuisse; quatenus, ubi orarent isti, quædam bona opera facerent, quædam peccata vitarent, Deus eorum Filios incolumes ad nativitatem usque tueretur; additque *Duvallius*, Deum non rard naturales causas, quæ mortem Puerulo inferrent, benignissimè immutare propter Matris probitatem, orationesque prævisas.

6. Communiori huic doctrinæ, cæteroqui Divinæ Misericordiæ adeò consentaneæ, non nulli opposuere, quod Sanctus *Augustinus* pluribus in locis, & præsertim in Epistola 105. adnotavit: *Quid dicam de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe religiosorum Christianorum præveniuntur, & Baptismo præripiuntur Infantes? Cùm è contrario sacrilegorum, & inimicorum CHRISTI aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sinè Sacramento Regenerationis emigrant.* Et in Epistola 107. *Aliquando cupientibus festinantibusque Parentibus, Ministris quoque volentibus & paratis, Deo nolente, non datur; cùm repente, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebant.* Id ipsum Sanctus *Prosper* [a] in dissertatione perpendit, quam ipsi

T 4

[a] *S. Prosper in Carm. de Ingat. & in Lib. de Vocab. Gent.*

*Anthelmius* adjudicat contra *Quesnellium*,  
Divo *Leoni* attribuentem. [a]

7. Ad hæc, & similia Patrum dicta facilissima erit responsio. Ubi scilicet impiorum hominum Filii baptizantur, manifestatur profectò Electionis Divinæ beneficium, quod nulli prorsus injuriam irrogare certissimum est: Ubi verò piorum Christianorum Filii, antequām oriantur, sine Baptismo decedunt; non indè tamen inferri potest, eis auxilia sufficientia fuisse denegata: Eodem planè modo, quo adultorum prædestinatio nihil officit, quò minus etiam præscitis auxilia necessaria conferantur. Et reverà, fortasse Parvulorum istorum Parentes, licet speciali præditi virtute, aliquod enorme peccatum olim perpetrârunt, vel etiam ad præsens aliqua veniali culpâ maculantur, in quorum pœnam Filios adeò debiles genuere. Possibile insuper est, eos aliquem virtutis actum omisisse, cui alligatus ac præparatus fuerat Divinus ille favor, quo eorum Proles viva & incolmis ederetur. Nocuit fortè Parvulis, peccasse quondam non solùm Parentes, sed & Avos, aliquo præsertim intemperantiæ, putè ebrietatis, aut alterius speciei, delicto, à quo etiam physicè Fœtûs debilitas morbusque originem duxerit; cùm cæteroquì omnipotentem Dominum punire usque ad

[a] *Anthelm.* in *Dissertat. de Oper. SS. Leonis M. & Prosperi.*

quartam generationem; remunerari usque ad millesimam, à Sacris Bibliis audiamus.

8. Hæc pœna maximè locum sibi vindicare potest in culpis, quæ tum in usu conjugii, tum in electione ipsa statûs conjugalis persæpe committuntur: In his enim finis nequit esse libido, vel avaritia; sed procreatio, & recta educatio Prolis, vel saltem concupiscentiæ remedium. Sed, eheu! quām pauci sunt, qui veraciter in Deo possint cum *Tobia* gloriari: [a] *Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio Conjugem; sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur Nomen tuum in saecula saeculorum.* Ecclesia quidem præcipit Parochis, [b] ut fideles moneant, ne Matrimonium celebrent, nisi Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis ritè admodùm expiati: neve illud consumment, neque cohabitent, nisi nuptiali benedictione recepta: Præscribit etiam Parochis, ut, propositis *Tobiæ* ac *Saræ* illustribus exemplis, verbisque *Raphaëlis* Archangeli, Sponsos circa modum diligenter instituant, quo ad Matrimonium piè contrahendum accedere oportet, & in eo conversari. *Tobiam* sanè Archangelus commonefecit, ut per tri-

[a] Tob. 8. 9.

[b] Ritual. Rom. in Rubr. de Sacr. Matrim. Missal. Rom. in Rubr. Miss. pro Sponso & Sponsa. Conc. Carthag. 4. Can. 12. Concil. Mediol. 5. sub S. Carol. Borrom.


duum post initum sancte Conjugium à thalamo abstineret: Sic enim prima nocte fugaret dœmonem, odore scilicet perculsum orationis, cuius typus erat jecur illud piscis, à *Tobia* eodem tempore concremandum; secunda vero nocte, dignus haberetur consortio & merito Sanctorum Patriarcharum; tertia postremo, Divinam Benedictionem impetraret, quâ & Filii vivi, ac bene compacti nascerentur, & ipse felicissimus Pater evaderet: *Tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut Filii ex vobis procreentur incolumes; transacta autem tertia nocte, accipies Virginem cum timore Domini, amore Filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abraham benedictionem in Filiis consequaris.* [a] *Sanctus Ludovicus Galliarum Rex hoc Angelicum Documentum implevit. Sancta etiam Hedwigis à Marito continentiam diebus jejunio & orationi dicatis obtinuit. Similia item alii Dei servi, piique fideles perfecerunt. At sive ex voluntatis malitia, sive ex fragilitate, sive ex defectu attentioris considerationis, Divina circa prædicta Ordinatio vulgo flocci penditur. Scio, Parochos non tam facile posse in hujusmodi rebus populum suum accuratè erudire; commodum tamen esset, si in Parochiali Templo, ut alicubi factum est, Sponsis omnibus de futuris utriusque sexus diebus*

præstitutis , horisque pomeridianis , coram eorum utrisque Parentibus , apertis quidem januis , exclusis verò pueris , aliisque similibus , quos adstare non decet , Catechismi *Turlotiani* pars ad Matrimonium spectans , vel alterius , ab Episcopo tamen probati , prælegeretur , ubi modestè sit indicatum , quidquid Ecclesia præcipit præmonendum : Cui sanè lectioni utrique Sponsi tribus vicibus intersint ; ut ita & disciplina constaret , & non pauca , nec levia mala evitarentur : Hoc enim pacto neutiquàm timendum esset , ne , qui docet , ex libro duntaxat recitans , in verba minus circumspecta , vel indecentia prolabatur .

Ecclesia profectò & instructionem hanc in Rituali expressè mandat ; & in Missali apertè jubet , ut Parochi in ipsa Nuptiarum Missa Sponsos de continentia in diebus jejuniorum orationisque per amanda commonefaciant . *Hinamque* , ut *Raphael ad Tobiam* dixit , [a] qui conjugium ita suscipiunt , ut Deum à se , & à sua mente excludant , & suæ libidini ita vacent , sicut equus & mulus , quibus non est intellectus , habet dæmonium potestatem super eos . Quæ cùm ita sint , mirabimur , si intemperantiæ Filii , Divinæ specialis Protectionis expertes , ad lucem vivi quandoque non veniant , sed in Matris ventre disperdantur ?

[a] *Tob.* 6. 17.

9. Cùm ergo probitas vel malitia Paren-tum, sive ad bonum, sive ad malum, etiam Filiorum, magni sanè momenti sit; pro Di-vina salvanda Misericordia sufficit afferere, eam ad Parvuli salutem sufficientia media præordinasse, Genitoribus auxilia subminis-trando, quibus peccata vitarent, vel bona opera exequerentur; quorum auxiliorum recto usui Deus favorem illum piè alligaverat, quo Puer incolumnis nasceretur; eorumdem verò auxiliorum neglectui permissionem, quâ ipse Puer in utero ex causarum secundarum occursu & pravitate læderetur. Quòd autem Deus tetricimi peccatoris, & omnem clemen-tiam demerentis Filium robustum generari disponat, ut hujus mortem, quæ aliter ex com-binatione causarum secundarum inevitabilis esset, avertat; contrà verò piissimæ Genitricis exiguam cibi intemperantiam tam severè ul-ciscatur, ejus Infantuli mortem permittendo, hoc ad sublimitatem pertinet Divinorum Ju-diciorum, quæ sunt nobis omnino inscrutabili-a: *Tu noli investigare, si non vis errare,* dicebat in similibus S. Augustinus. Nobis ni-mirùm satìs est scire, Deum, ubi nos ab æter-na morte liberârit, misericordiam; ubi verò punierit, justitiam exerciturum. Quam ob rem cum Apostolo exclamandum: *ō Altitudo di-vitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! quām incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles Viæ ejus!*



## C A P U T I I. \*

*Quæ Parentes pro salute Filiorum nonnatorum agere oporteat? & utrùm aliquod admittendum sit sanctificationis remedium pro Infantibus utero penitus circumdatis, & ante ortum morituris?*

1. **S**Æpe igitur conservatio vitæ Pueruli in ventre Genitricis, ejusque sanitas & felix ortus, ut Baptismate donetur, fructus est probitatis orationisque Parentum. Orandus est ergo Dominus à Parentibus, quò Pueri vitam in Matris ventre conservet, ut inde vivus egrediens, tandem aliquando capax fiat suscipiendi Baptismatis. Quæ sanè preces eò majori pollebunt apud Deum efficacia, quò magis cum pia atque illibata vitâ fuerint conjunctæ: Scriptum est enim: *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* [a]

2. Porro, summa solertiâ Pastores aliique Sacerdotes, & pro suggestu, & pro sedibus ad Confessiones peccatorum excipiendas deputatis, de re tanti momenti populum doceant; nimirùm, si Parentes pro filiis orare

\* In Arch. partim c. 2., partim c. 3.

[a] Luc. 1. 50.

semper tenentur, majori hoc assiduitate & contentione tunc exequi debere, dum adhuc illi maternis visceribus continentur, propter varia, quibus iidem subjacent, pericula perreundi sinè Baptismate. Et hoc ipsum à domesticis cæterisque Christicolis factitandum, tum pro nonnatis omnibus in universum; tum etiam ardentiùs pro iis, quibus aliquod grave malum impendet. Quod certè orandi studium pro nonnatis, in S. *Philippo Nerio* eximiè refulgebat. Magna quidem ad obtinenda à Deo beneficia est orationis necessitas; quandoquidem ipsæ primæ gratiæ supponunt saltem CHRISTI Domini & Ecclesiæ preces. Quam ob rem, communiter Theologi ex S. *Augustino* docent, nullam nobis conferri gratiam, nisi mediâ postulatione, si non à nobis facta, saltem pro nobis: Hæc est enim vas, quo ab immenso Divinæ Bonitatis oceano, beneficiorum hauritur aqua. Propterea, Divus *Jacobus* etiam privatos homines monebat: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Si ergo pro peccatoribus omnibus, quamvis ipsi per se rogare valeant, orandum est; quam vehementius ac fidentius id faciendum pro Parvulis his, ut vivi in lucem veniant, qui postulandi omnino incapaces, nostrarum precum subsidia præstolantur; cum cæteroquì eorum salus à Divina tantum Providentia pendeat, quæ eorum amantissima remedium tam facile ac promptum in Bap-

tismate præparavit? Sique Fidelium Orationes, ut omnes norunt, conversionem à Deo etiam sceleratissimorum & infidelium impe-trant, quorum saluti reluctantur specialia pec-catorum, nunc habitualium, nunc actualium, quibus sæpe immani, & obstinatissimo affectu agglutinantur, mala merita; quantò magis Infantulis istis opitulari poterunt, ut Deus ad Baptismi gratiam eos perducere sua pro-tectione dignetur, cùm ipsi alia culpâ, præ-terquam originali, non deturpentur? Expe-dit ergo, suprà quam credi possit, Prægnan-tes toto graviditatis tempore Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacraenta frequentius suscipe-re, Templa Sanctorum Tutelarium invisere, Sacerdotum, Religiosorum, aliorumque Dei Famulorum orationes expetere, seque in specialibus Christianæ Pietatis actibus exer-cere. Item, non solùm precandi formulam à Divo *Francisco Salesio* pro Gravidis con-cinnatam (de qua pleniùs infrà\*) quotidie recitare; sed & singulis horis Prolem Deo, per Beatæ MARIAE Virginis manus, juxta ejus-dem *Salesii* monitum, offerre; Sanctorum denique Innocentium Patrocinium sæpiissimè invocare. Operæ tamen pretium est, ut Pa-tres quoque similia huc usque dictis, ex pari debito usurpare contendant.

3. Sanctus *Carolus*, præter quotidianas orationes, præscribit Matri, partui jam proxi-

mæ, accessum ad Templum, ac normam statuit, qua Sacerdos ante primarium Altare pro illa deprecetur, ipsique benedicat. Et in sexto Concilio Provinciali [a] jubet, Gravidam in hac Partûs propinquitate peccata confiteri; & in instruâtione pro Sacramento Eucharistiæ, ipsam ejusdem Communione muniri, tûm Partu imminente, tûm verò post illum in gratiarum actionem, cùm primùm venerit ad Ecclesiam. [b]

4. Profectò, sicuti Divina Providentia Parentes elegit, veluti suos in Filiorum procreatione ministros; ita ad æternam illorum salutem eosdem statuit suæ charitatis adjutores. *Francisca de Sionas*, Beati *Francisci Salesii* Mater, dum utero gereret, enixè Problem suam Deo commendare consueverat; ejus autem preces incassùm non reciderunt: Undecim enim habuit Filios, eosque ad unum pietate conspicuos, quorum postremus, cùm morererur, Davidicum illud protulit: *Ecce, quām bonum & quām jucundum habitare fratres in unum!* ita scilicet ad fratribus suorum consortium alludens, quos brevi se in Cœlo amplexurum fore sperabat. *Francisci* verò rerum gestarum Historici omnes, ejusdem sanctitatem oblationi illi acceptam referunt, qua Mater ipsum in utero manentem Deo coram Sancta Sindone dedicaverat:

[a] Conc. Mediol. 6. de Sacr. Pœnit.

[b] Act. p. 4. Instruct. de SS. Sacr. Euch

yerat: Exinde enim arcana præsagia in Propheticis quibusdam somniis de Filii futura virtute recepit, quibus Deus ratam oblationem hujusmodi se habuisse, indicabat.

5. Cùm autem non solùm Parentibus, sed & aliis omnibus, prout suprà dictum est, pro nonnatis orandum sit, ut vivi orientur, atque ita demum ad Baptismi gratiam perveniant; precandi normam, ad id accommodatam, in Appendice [a] exhibebimus, qua quisque frequentissimè uti possit.

6. \* At, quid agendum in casibus desperatis?  
*Joannes Gersonius*, in oratione *de nativitate Virginis MARIÆ*, in generali *Constantiensi* Concilio habita, monuit, Deum à Parentibus esse obsecrandum, „ quatenus In- „ fans necdum natus, si fortè moriturus est, „ priusquam ad Baptismi fluminis gratiam per- „ venire valeat, dignetur ipsum Dominus „ JESUS summus Pontifex Baptismo Spiritūs „ Sancti præveniendo misericorditer conse- „ crare: Quis enim scit, si fortè exaudiat „ Deus? Imò quis non devotius sperare va- „ leat, quod orationem humilium & in se „ sperantium nequaquam despiciat? Proficit „ hæc consideratio ad exercitationem devo- „ tionis in Parentibus; proficit ad levandam „ eorum angustiam, dum sinè Baptismo de- „ cedit Puer: Quia non omnis indè spes sub-

V


[a] *Mon. 2.*\* *In Arch. c. 2. n. 3. & 4.*

„ lata est ; sed neque absque revelatione da-  
„ tur favoris certitudo. „

7. Res quidem non est impossibilis existi-  
menda : Nam , præterquam quod potest Deus,  
ubi velit , eximia sanè dignatione , hujusmodi  
Puero , absque alio medio , justificantem gra-  
tiam & virtutum habitus infundere , vel ju-  
bère , ut ab Angelo baptizetur ; quo casu Bap-  
tismus , quia non ab homine viatore minis-  
tratus , esset impropriè Sacramentum : His  
etiam , utpote prorsus extra ordinem , præ-  
termisis , manifestum est , posse illi rationis  
usum elargiri , efficacibus auxiliis eum ad actus  
Fidei , Spei , & Charitatis , & Baptisni desi-  
derium impellere , atque ita per Baptismum  
*in voto à perditione liberare.* Quamvis enim  
ex Historiis compertum non sit , utrum Do-  
minus , à fidelibus exoratus , id aliquando  
præstiterit ; ex Fide tamen didicimus , eum esse  
omnipotentem , ac multò majora istis efficere  
perquam facillimè posse. Et sicuti , ob Paren-  
tum , vel aliorum preces , plures \* ad vitam  
revocavit Infantes absque Baptismate mor-  
tuos , ut eo emundarentur , ac deinde in statu  
gratiæ decederent ; siue laudabile fuit , quem-  
admodum exitu ipso comprobatum est , Deum  
in hujusmodi eventibus deprecari , ut ab eo  
tam insigne miraculum , mortuorum scilicet  
resurrectio , patraretur : Imò , si pluribus Dei  
servis licuit ab ipso volucrium , piscium , alio-

\* Vide in Arch. l. 2. c. 13. n. 1. & 2.

rumque mortuorum animalium resurrectio-  
nem impetrare , quorum miseratione teneban-  
tur ; cur non licebit etiam , præsertim Paren-  
tibus , à Deo expetere , ut Parvulo , secùs pe-  
rituro , usum rationis acceleret , eumque ita  
ad credendum , sperandum , & diligendum  
illuminet & incendat , ut æternam salutem in-  
visibili medio consequatur ? \*



### C A P U T I I I . \*

*De Parochorum vigilantia in Obstetrics ,  
de que ipsarum examine ; ubi pleraque ,  
quæ sparsim & fusiùs in hoc Opere sunt  
dicta , summatim repetuntur.*

I. **O**bstetricibus , ex Sancti Caroli Decre-  
tis , totiusque Ecclesiæ Disciplina ,  
munus suum exercere nequaquam permitti-

V 2

\* Differt Gersonii sensus in hac materia ab  
opinione Cardin. Cajetani , qui temerè nimis  
existimavit , propriam Parentum Fidem , per  
aliquod sensibile signum in Nominе Sanctissimæ  
Trinitatis Filiolo applicatam , posse eum ab ori-  
ginali peccato mundare . V. Arch. c. 2. à n.  
5. , ubi Auctor fusiùs amborum sententiam  
discutiens , disparitatem inter utramque  
tam ab auctoritate , quam ratiōne , enucleatē  
exponit .

\* In Arch. c. 6.

tur , nisi de tribuendo Baptismate probè fuerint examinatæ , & in scriptis approbatæ : Quod examen quotannis saltem repeti necesse est ; putà, post diem SS. *Innocentibus* sacram , ut in *Panormitana* Diœcesi mandatum. *Bononiæ* , ex Edicto *Benedicti XIV.* , eo tempore *Bononiensis* Archiepiscopi , huic functioni , Metropolitanæ Archipresbyter cum duobus religiosis Viris , arbitratu ejusdem electis , dat operam : In Diœcesi tamen , Vicarius Foraneus simul , & Parochus ; qui , si Vicarii etiam Officio decoratur , alium Parochum è sua ditione advocat ; quod ad examinis honestatem , ejusque certitudinem , ne scilicet sine illa documentum approbationis concedatur , est cautum. Porrò , examen quotannis renovatur , Vicariique Foranei de eo peracto , in solitis Epistolis Præfulem certiorem facere debent , pœnis arbitrariis , tum contra Vicarios & Parochos , tum contra Obstetrics , hæc transgredientes , constitutis. Eadem ferè pro *Panormitana* Diœcesi *Joseph Melendez* , piissimus Archiepiscopus , edixit : Ubi etiam , Synodo jubente , Obstetrics jurejurando se adstringunt , se gratis in partu inopes Mulierculas adjuturas. Malè tamen rem gererent Episcopi , qui hoc frequens examen eo prætextu negligerent , quod Baptismus ab Obstetricibus collatus in eorum Diœcesi , addita conditione , reiteretur : Nam sæpe contingit . Infantes , præsertim abortivos , obire , antequam à Parocho hæc reiteratio fieri possit.

*Examen autem de sequentibus articulis  
instituitur.*

- I. De Persona baptizatura.
- II. De Tempore baptizandi.
- III. De baptizantis Intentione.
- IV. De Persona baptizanda.
- V. De Materia.
- VI. De Forma.
- VII. De formæ ad materiam Applicatione.
- VIII. Accedunt Monita, occasione examini  
nis danda Obstetricibus.

§. I.

*De Persona baptizatura.*

Baptismus quidem à quocumque, sive Ecclesiastico, sive Laïco, sive à Mare, sive à Fœmina, sive à Fideli, sive ab Infideli, cum debita materia, forma, & intentione ministratus, est validus; ac propterea Parochos monet *Catechismus Romanus*, \* ut Fideles omnes baptizandi modum perdoceant: Quod per totam Siciliam Christianæ Doctrinæ Congregaciones in morem induxerunt. Nihilominus, Obstetrix regulariter nequit Infantem licet baptizare: Nam de jure, Pueri in Ec-

V 3

\* Vid. in Arch. l. 1. c. 12. n. 1.

clesia, non domi; à Parochis, non ab Obstetricibus baptizandi sunt, nisi in extre-  
mo, vel gravi saltem versentur periculo, ne  
sinè Baptismo decedant. Parvulus verò in  
triplici statu reperiri potest: Vel enim totus  
in utero existit; vel, ex parte natus, ex parte  
quòque in utero manet; vel totaliter ex utero  
natus est. In duobus primis casibus propter  
honestatem, quocumque alio excluso, bap-  
tizat Obstetrix. At in tertio, cùm Puer scili-  
cet omnino est ortus, baptizare debet Sacer-  
dos; eoque deficiente, Clericus, Ordinum  
gradu servato: In Clericorum defectu, Vir laï-  
cus; laïco tamen Viro deficiente, Mulier: Ad  
proptereà, non nisi in omnium istorum ab-  
sentia, Obstetrici baptizare licebit; excepto  
casu, quo tantùm ipsa modum ministrandi  
Baptismatis nosset: Demum, Obstetrice ab-  
sente, Pater vel Mater Infantis. Porrò, qui-  
cumque Sacramentum Baptismi confert, af-  
finitatem cum baptizato, ejusque Parentibus  
contrahit: Si verò in necessitate Pater aut Ma-  
ter Infantis baptizent, cùm æterna Filii salus  
eos, deficientibus aliis omnibus Fidelibus  
ad id compellat, ab affinitatis vinculo sun-  
timmunes. In privato Baptismate, non opus es-  
Patrinis, qui è Ritûs præscripto adhibend  
erunt posteà, cùm Baptismi Cæremoniæ in  
Ecclesia supplebuntur.

## §. I I.

*De Tempore baptizandi.*

Obstetrix baptizabit, si partus ex aliquo insuperabili impedimento est impossibilis; vel, si tantum difficilis, at Infans ex nascendi conatibus in magnam inciderit debilitatem; vel, si quacumque ex causa, non nisi tenuis in eo motus deprehenditur; vel, si multo prius placentia exierit, Fœtu in utero manente; vel, si funiculus umbilicalis dirumpatur; demum, quandocumque periculum est, ne Puer, antequam enascatur, occumbat: Nam in his casibus, ob interceptam alimenti, ac maternorum spirituum communicationem, vel ob hæmorrhagiam, Fœtus, ut plurimis observationibus constat, facile mortuus ex utero egreditur. Si verò natus est ille, at periculum proximum subest, ne, antequam ad Ecclesiastum deferatur, intereat; baptizabit eum Obstetrix; at aliis, ut suprà, deficientibus. Jam verò, in natis periculi signa, ex *Quintanaduennas*, [a] *Gobato*, [b] aliisque, sunt ferè sequentia, quorum unumquodque sufficiet.

I. Si Puer sinè vagitu & lacrymis oriatur:

V 4

[a] *Quintanad. de Bapt. tract. I. singul.*

20. §. 5., 6.,

[b] *Gobat. tract. de Bapt. n. 499. & 500.*

Cùm enim huc usque uteri calore confotus fuerit, molestiorem sibi aërem experiri necesse est. Patet ergo ex hac indolentia, ejus sensus non esse vividos, sed intermortuos: Idemque dicas, ubi plorat, sed voce demissâ.

II. Si modestè respiret, vel signa ostendit suffocationis inceptæ.

III. Si languidus est, nec juncturis insistere valet.

IV. Si lividus, præsertim in facie & capite.

V. Si in nascendo multum temporis insumpsit; vel parum quidem temporis, at multum laboris.

VI. Si multùm ab Obstetricie adjutus fuit: Ab hujus enim auxilio non parùm divexatur.

VII. Si ante septimum oritur mensem; non enim adhuc est bene corroboratus: Quocircà dicendus est abortivus; & à fortiori, si junior.

VIII. Abortivi omnes regulariter periclitantur; Quarè ad Ecclesiam deportandi non sunt: Abortus enim, sive ex terrore, sive alia ex causa, Fœtui sunt valde perniciosi.

IX. Medicorum plurimi cum *Aristotele* [a] experientiam allegantes, octimestres vivere non posse, docuerunt: Consequens ergo esset, eos domi baptizandos. At, si septimestres, minùs licet corroborati, vitales quandoque sunt; quantò magis octimestres?

[a] Arist. *de Generat. Animæ l. 7. c. 4.*

Credebant quidem veteres , octavo mense Fœtum infirmari ; sed hoc vera experientia falsum demonstravit. [a] *Francisco Mauriceau*, obstetricariam artem triginta quinque annos exercenti , septimestres omnes ante septimum diem obiérunt ; contrà verò , plus quam biscenteni octimestres fuere vitales. Cæterūm , si alia periculi signa conspiciantur in octimestri , quis umquam negabit , Baptismum domi esse accelerandum ? Multòque magis id locum habet in septimestri , qui , etsi vividus ex antedictis , quam citius ad Ecclesiam pro Baptismate deferendus est.

X. Si cranium habet valde molle , suturasque nimirūm apertas , aliasve partes disjunctas.

Ubi tamen Infans optimè quidem valeret ; sed metueret Obstetrix , ut frequenter accidit in partu illegitimo , ne Parentes illum occidant , vel saltem exponant in oppidis , ubi rota ad Infantes excipiendos non pateat , eudem incunctanter baptizabit.

### §. I I I.

#### *De baptizantis Intentione.*

Intentio erit faciendi , quod facit Ecclesia ; nimirūm , quod CHRISTUS instituit.

[b] Drelincurt. in Corrolar. de humano Fœtu.

## §. I V.

*De Persona baptizanda.*

Circa Personam baptizandam hæc scire debet Obstetrix.

I. Si Infans caput emiserit, & periculum immineat, baptizatur in capite; nec posteà, si omnino nascatur, erit iterum baptizandus.  
 [a] At, ubi aliud emiserit membrum, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur: Verùm, si totaliter deinde oriatur, erit sub conditione rebaptizandus hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* &c.

II. Si totus in utero fuerit, possitque eum Obstetrix in se ipso manu incurvata, spongiâ, vel syphunculo abluere, baptizatur, præmissa conditione: *Si es capax.* Idem dicendum, quamvis in eo statu sit adhuc secundinis circumvestitus, nec eæ disrumpi possint. At, si posteà disrumpantur, erit iterum, addita dupli conditione, baptizandus: *Si non es baptizatus, & es capax, ego te baptizo* &c. Qui, si posteà caput ex utero, vel aliud membrum emiserit, baptizandus est denuò sub conditione: *Si non es baptizatus, &c.*

III. Monstrum, quod humanam speciem

[a] *Ritual. Roman. de Bapt. Parvul.*

non præ se ferat, baptizandum non est: \* De quo si dubium extiterit, ac tempus interrogandi Parochum, vel peritos non suppetat, imposta sequenti conditione, baptizandum est: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.*

IV. Si Obstetrici oriatur dubium, unane in monstro, an plures personæ sint; res ita discernetur: Si monstrum plura capita, & plura simul habeat pectora, totidem erunt corda & animæ, hominesque distincti: Quam ob rem singuli baptizantur, & unicuique dicitur: *Ego te baptizo &c.*; nisi mors omnino instans cogat, singulis eorum capitibus aquam infundendo, cunctos insimul sub unica forma baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo &c.* Si autem unum est caput, & unum pectus, quamquam reliqua membra duplicata; unus est homo. Si verò unum est caput, sed bina pectora, vel unum pectus, & duo capita; tunc una persona absolutè, deinde altera cum hac conditione baptizatur: *Si es alius homo, ego te baptizo &c.*

V. Quod ad abortivos; animadvertisendum est seriò, tempus infusionis animæ rationalis in Fœtum esse penitus incertum: Non pauci enim Doctores putant, immediatè post conceptum infundi, nec quadragesimum, vigesimum, vel etiam septimum diem expectari.

\* *Vide Observationem circa hoc factam super l. 3. c. 6. n. 6.*

Id apud omnes hodiè indubitatum, animationem in Fœmellis non tardiùs fieri, quām in Masculis. Itaque, si Fœtus abortivus est completus, & se movet, absolutè baptizatur, ut certè vivus, & animâ rationali jam prædictus. Si verò motum ostendit, non est autem completus, dummodò humanus Embryo esse videatur, quamvis minimus, & imperfectissimè figuratus, etiam primis graviditatis diebus baptizatur, sed præmissa conditione: *Si es capax*, &c. Incertum est enim, utrūm animâ rationali sit informatus.

VI. Si minimi isti Embryunculi exeant secundinis involuti, ne tempus cum periculo mortis eorum dilabatur, baptizantur primò in ipsis secundinis, adjecta conditione: *Si es capax*; scilicet, si vivis animâ rationali, & non obstant secundinæ. Deinde, secundinis laceratis, iterum baptizantur; at sub dupli conditione: *Si es capax*, & *si non es baptizatus*; nimirum, si habes animam rationalem, & insuper si primum Baptismum ob secundinarum impedimentum tibi non profuit. Hos autem facillimè baptizabimus, in pateram aquâ plenam eos immersando, circumagendo, atque lavando.

VII. Infantes, quos, ut Baptismi capaces existant, oportet esse vivos, tales certè sunt, si motum indicent; at non semper ideo mortui, si motu expertes, præsertim si nondum nati: Nam nati ipsi sive ex nascendi labore,

sive ex alio malo, quamvis cunctis adstantium sensibus expositi, saepe sine pulsu, motu, respiratione ac sensu, omnino vitâ spoliati apparent, cum reverâ illam retineant, ut ex innumeris claret experimentis. Et nati igitur, & nonnati, si eorum mors indubitata ex corruptione, aliove certo indicio non fuerit, citè baptizentur cum conditione: *Si es capax, ego te baptizo &c.*

VIII. Hoc autem non solùm de nonnatis & abortivis, vel partu difficulti, vel *Cæsareo* natis; sed etiam partu facili egressis dicendum est: Hi enim ad proprium ortum coöperati sunt; Secùs, ille difficilis extitisset: Cum ergo paulò antè vivi & vegeti fuerint, præsumuntur ex nascendi conatibus aliqua syncope oppressi; at non extincti: Non enim ab extremo ad extremum sine medio transitur. Animadvertisandum porrò, ne Matris humorum corruptorum fœtorem cum Fœtûs putrescentis fœtore, neve gangrænam vivorum cum putrefactione cadaverum confundamus. Præter alia signa, unam ab altera discriminantia, gangræna sicca, vel humida quidem, sed cum rubore, qui carnem integrum separat à corrupta, vivorum est, non mortuorum: Livor autem in nascentibus persæpe non putrefactionis initium est, sed compressionis uteri, & nascendi conatum sequela.

## §. V.

*De Materia Baptismi.*

I. Materia Baptismi, est lotio facta aquâ naturali; id est, vel è cœlo, vel è mari, flu mine, fonte, vel puteo. Porrò, cùm baptizat Obstetrix, non opus est, aquam esse benedictam, vel sale commixtam. Expedit verò, ut promptam sibi semper parari faciat aquam nitidam, tum in pelvi munda, ut indè accipiat pro nonnatis; tum etiam in urceolo, qui pro natis commodissimus est. Aquam autem artificiatam, putà rosaceam, vel è floribus malorum *Affyriorum*, vulgò aurantiorum, expressam, adhibere non potest, nisi ubi naturalis fortè deesset; & tunc, addita conditione, baptizat hoc modo: *Si hæc aqua possum, ego te baptizo &c.* Si tamen deinde aquam naturalem habuerit; iterum baptizat sub hac alia conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

II. Ablutio autem trinâ infusione fit in capite, ita ut carnem aqua contingat, & per eamdein transcurrat.

## §. V I.

*De Forma.*

Forma Sacramenti, sunt hæc verba: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, &*

*Spiritus Sancti.* Ne autem umquam Obstetrix illorum obliviscatur, id memoriâ firmè retineat, verba eadem esse, ac illa, quæ profert, signo crucis se signans; additis tamen in principio his aliis: *Ego te baptizo*, quæ sunt etiam omnino necessaria. Verbis porrò formæ nihil additur, nihil demitur, nihilque mutatur: Nam grave peccatum esset, & saepe Baptismus invalidè ministraretur: Quapropter, formam Obstetrices aliique rudes, vulgari idiomate proferant. [a] Cæterùm necesse non erit his, qui in necessitate baptizantur, nomen imponere, dicendo e. g.: *Joannes*, *ego te baptizo*: Si tamen fiat, laudabile reputatur.

### §. VIII.

#### *De Applicatione formæ ad materiam.*

Verba formæ eodem tempore, quo fit ablutio, recitari debent. Simul ergo lotionem & verba incipiat baptizans, ut simul etiam finiat. Tres autem cruces efformantur, tribus aquæ infusionibus, singulæ singulis trium Divinarum Personarum Nominibus, quæ pronunciantur, correspondentes. At, quamquam trina crux, cum trina similiter aquæ infusione, antiquissimi sint ritûs; unica tamen aquæ infusio, etiam sinè cruce, ad validitatem Sacra-

[a] Ex S. Antonino, Toleto, ac Suario. Quintanadu. de Bapt. tract. I.

menti satis esset: Et ideò unica fit, & citò, etiam sinè cruce, si subita mors timeatur Infantis. Id tamen omnino est necessarium, quòd scilicet ablutio & formæ prolatio, ab eadem met persona peragatur; Secùs, nullus erit Baptismus.

## §. VIII.

*Monita occasione examinis danda  
Obstetricibus.*

I. Obstetricis munus ad animarum corporumque salutem, imò ad humani generis conservationem utilissimum, insignem in Obstetricibus charitatem atque prudentiam requirit: Quæ proptereà *Sapientes Matres*, vel *Commatres*, veluti secundæ Matres, appellantur.

II. In primis, hæ Conjugatas doceant, impeditiōnem generationis non licere: Insuper causam abortuum, monstrorum, & vitiosarum generationum, ex quibus partuum impossibilitas, ac mors Prægnantium subsequitur, interdum esse multiformem impudicitiam, ac immoderatam generantium libidinem: Suntque prudenter occasione, Mulieribus nuptis modestè significant, quid à Divina Lege permisum, quid vetitum sit.

III. Prægnantes moneant, earum conscientiam valde onerando, ipsas, ubi senserint ciborum aut potionum, quas fortè viderint, vel ex grato saltem odore perceperint, appetitum

in

in se ipsis irritari , pessimè agere , si ob vanum timorem , aut verecundiam optatos cibos , aut potiones delibare non petant ; cùm experientia doceat , ab his desideriis , quibus satisfatum non fuerit , persæpe abortum , ac mortem Fœtūs originem trahere .

IV. Item Prægnantibus , earumque Domesticis tradant , incertum esse tempus animationis , quam sanè multorum Doctorum sententia docet immediatè post conceptionem fieri ; & addant , certum hodiè putari , animationem Fœmellarum non esse tardiorem illæ Masculorum . Quà propter inculcent , in omnibus abortibus , etiam primis graviditatis diebus , inquirendos esse diligentissimè Fœtus , vel Embryones , ac juxta regulas , hoc ipso Capite §. quarto expositas , baptizandos .

V. Obstetrics , quæ ad abortum consilium , vel auxilium quomodò cumque præbent , sive Fœtus sit animatus , sive non , atrocissimè peccant ; etiamsi abortum procurent , ut Prægnantis honorem , vel vitam tueantur : Imò , si Fœtus est animatus , excommunicationem Pa-pæ reservatam , \* pœnamque mortis incurruunt .

VI. Omnes igitur , à se auxilium , vel consilium petentes ad finem abortūs , à prava intentione deterreant excommunicationis & pœnarum homicidii metu : Imò , si opus est , Pa-

## X

\* Vid. quæ circa hoc punctum notavimus  
suprà l. I. c. 2.

rocho secretò denuncient, ut is prudenter impedit. Neque Gravidis remedia ignota, & priùs à Medicis non probata ministrent.

VII. In occultis & illicitis prægnationibus & partibus, illibatum silentium sub peccato servare tenentur: Si quando verò domi, pro futuro partu, occultas Prægnantes hospitio retineant, numquam sub ullo prætextu earum amasios admittant.

VIII. In partu, præsertim difficulti, ad orationem confugient; preces tamen prohibitas, vel suspectas non recitabunt: Imò, pro majori cautela, orationibus ab Ecclesia non approbatis abstinebunt; nec quidquam superstitionem redolens exequentur. Caveant etiam, ne alicui quidquam ex secundinis, aut aliquid aliud tribuant, quod ad usum superstitionis adhibéri valeat.

IX. Periclitatur Fœtus, ubi nimis debilis est, ac sinè motu; vel si partus est valde difficultis; vel si ruptus exeat funiculus umbilicalis; vel si, egressa jam placentâ, Fœtus ipse moratur ad exeendum; ita namque deficiunt illi organa pro circulatione sanguinis atque nutritione: Si Fœtus, laceratis jam secundinis, se mechonio exoneravit; indicat enim, abdomen suum valde comprimi: Tunc verò, si tantisper substiterit ventris compressio, respiratio facillimè interibit.

X. Partus autem, ubi, diruptis nimis citò secundinis, aquæ dilabuntur, difficultis evadit:

Quocircà imprudentissimè se gerunt Obstetrics, quæ illas dirumpere audent, quod quandoque faciunt celebriores, ut gloriam celeris partûs, cui ipsæ manus admoverint, aucupentur; exceptis casibus desperatis, in quibus, ad baptizandum Fœtum jamjam moriturum, secundinas lacerare necesse est; vel quando anterior membrana insuperabilis esset duritiëi, & à Fœtu ipso discindi non posset. Contrà verò monet *Boerhavius*, partum naturalem esse, cùm Infans ipse in ultimo nascendi nisu membranas rumpit, & exit: Imò, valde feliciorem futurum partum, si, placentâ matuta spontè dissoluta, Parvulus cum toto secundinarum volumine, & in eis inclusus egrediatur; quod interdum evenit Puellis occultè, & sinè Obstetricie, ac pene sinè dolore parentibus.

XI. Syphunculum chirurgicum [a] sibi comparabunt, ut in extrema necessitate, cuī aliter succurri non possit, Puerum in utero baptizent.

XII. Nonnatum Infantem ne facilè mortuum putent: Imò, quamvis natum, & gividum ac lividum, ac sinè ullo prorsus vitæ argumento, ad vitæ usum revocare conentur.

XIII. In præcipuis remediis, laudatur ca-or; lotiones ex vino, aliisque aromaticis liuoribus; secundinarum concrematarum va-

por; umbilicali præsertim funiculo non re-  
ciso; halitus in os Parvuli insufflatus; tabaci  
fumus in intestina intromissus. Juvat etiam pa-  
pillas ejus mammarum sugere, è quibus vulgo  
sinistra præfertur; plantasque pedum vellicare  
penicillo. Infantes tamen aliquando non nisi  
post continuata per tres aut quatuor horas  
hujusmodi præsidia, se vivos esse ostenderunt.

XIV. Ditioribus Puerperis, quantum fas  
erit, suadeant, proprio lacte, nisi vera ne-  
cessitas excusârit, Filios alere; non aliis com-  
mittere nutriendos, quod & Matribus, &  
Filiolis æquè nocere consuēvit.

XV. Deformem, aut monstrosum Fœtum  
sub gravibus pœnis occidere non licet; sed, si  
tempus quidem sufficiat, advocandus est Pa-  
rochus, ut de Baptismate deliberet: Si vero  
periculum urgeat, juxta traditas suprà regu-  
las baptizabitur. Nani, gibbosi, & similes  
educantur. Fœtus omnino horrendus vitalis  
esse non solet; eum tamen, quamquam bap-  
tizatum, non interficiant; sed ad summum  
de se mori finant.

XVI. Antequam fasciâ Puerperam astrin-  
gant, ipsam interrogent, utrum alio pondere  
adhuc sentiat se gravatam, ne fortè aliis in  
ea remanserit Fœtus, & strictione suffocetur.

XVII. In partu illegitimo, Puerperam  
ejusque Propinquos admoneant, ne quid  
contra Infantem moliantur; imò, illum ad  
Nosocomium deportabunt, nutriendis hujsu-  
modi Pueris deputatum.

XVIII. De Baptismate, sanis etiam Infantibus citius, & intrà tertium saltem diem administrando, Parentes commoneant, illudque urgeant, propositis etiam, si quæ in Diœcesi statutæ sint, pœnis. Quodsi domi ex necessitate baptizati jam fuerint, postulent, ut ipsis Cæremoniaæ in Ecclesia suppleantur.

XIX. Illicitum esse denuncient Matribus & Curatricibus, dormientes Parvulos bienio, aut saltem anno minores, non in cunis, sed in lecto collocare, cùm facile opprimi & suffocari possint: Præsertim, si manusculas habeant fasciis devinctas; & maximè, ante Baptismum. Pœnitentia Canonica Parentum, ex incuria Filios opprimentium, est trium annorum, quorum primus in pane tantùm & aqua transfigendus. [a]

XX. Peccant, si Fœtum, quandoque mortuum, vivum esse mentiantur; vel eum arte aut remediis movéri faciant; vel Sanctorum resurrexisse miraculo comminiscantur, ut eum ad Parentum solamen baptizent, & in Loco Sacro sepeliri procurent. Peccant etiam Parentum vel Fœtum supponentes, ac civili jure puniuntur. [b]

XXI. Prægnantem infirmam visitent. Si ad mortem tendat, curabunt, ut Parochus

[a] Rit. Rom. *de Bapt. Parvul. in fin. Cap.*  
de Infantibus: *De his, qui Fil. occid.*

[b] L. 2. ff. *de Carbonian. Edict.*

& Chirurgus pro Partu *Cæsareo* peragendo maturè advocentur. Si graviditas inhonestā sit, idem secretò præstabunt, saltem simul ac illa expiraverit.

**XXII.** Cùm non rarò Prægnantes in extremo mortis luçamine Fœtum enitantur, qui lecti integumentis poterit suffocari; sedulò illis assitant, & interdum per lectum inquirant, utrùm fortè prodierit Infans; quem, si inter nascendum hæreat, quoquo modo adjuvabunt.

**XXIII.** Modum faciendi Partum *Cæsareum* in defunctis, addiscant; & domi novaculam perpetuò habeant, ut illum, si quando necessitas postulaverit, ministrare possint.

**XXIV.** Mortuam Prægnantem ubi incidērint, inspiciant, utrùm unus, an plures fortè sint Parvuli, vel simul geniti, vel per superfœtationem. In abortu etiam investigabunt semper, quid ulteriùs post Fœtum egressum emitat Mater: Fortassis enim aliis erit Embryo.

**XXV.** Si Infans, dissecto utero, non apparet, graviditas autem certa sit; ampliato vulnere, inquirant, utrùm in tubis *Fallopianis*, ovario, vel etiam abdomine delitescat.

**XXVI.** Si pro Infante molam reperiant, hanc ipsam dissecant: Quandoque enim in ea inventus est Fœtus. Omnes porrò molas disindendas meminerint, etiam reperto jam anteà Fœtu: Nam alios fortassis continebunt. Eadem cautelæ adhibendæ veniunt molis, in partu, vel abortu exeuntibus.


**XXVII.** Debent sub mortali modum rectè baptizandi callere , eumque memoriâ recolere ; & , ubi quidquam oblitæ sint , vel subdubitent , Parochum sciscitari : Item ad examen singulis annis redire , & cum ejusdem artis Fœminis , maximè Discipulis , de prædictis omnibus , & de dicendis passim sermocinari .

**XXVIII.** Tenentur etiam in arte obstetricia peritiam adipisci , Chirurgos expertos audiendo & interrogando , sectionibusque muliebrium cadaverum assistendo .

**XXIX.** Ut aliquem etiam librum ducem habeant proprii muneris , legendi facultatem acquirere satagent , sinè qua vix ad artis perfectionem , nec sinè maximis laboribus erroribusque pervenient .

**XXX.** Pauperibus Fœminis gratis obstricari , & omnimodam opem conferre tenentur ; id si recusent ; Deum habebunt ultorem : Contrà verò , si charitatem Pueris ac Prægnantibus omnibus , præsertim egenis , impenderint , Divinam sentient Munificentiam : Si enim Deus misericordibus *Ægyptiis* Obstricibus domos ædificavit ; multò magis verè Christianis in Cœlo mansionem præparabit , ubi sempiterno ac beato ævo fruantur .





## CAPUT IV.

*Baptismatis domi, ab Obstetricibus præser-  
tim collati, validitatem esse diligen-  
tissimè discutiendam.*

1. **A**ntequam Parochus Infantи, jam domi baptizato, Sacras in Ecclesia Cæremonias ritè suppleat, ex *Romani Catechisi* doctrina exactissimè quidem oportet inquiri, utrum is valide fuerit baptizatus, ut, in casu dubii, Baptisma sub conditione reixeretur.

2. Hæc inquisitio locum habet, et si Sacerdos alius baptizaverit: Nam Sacerdotes ipsi, sive insciitâ, sive festinatione, sive rei improvisæ novitate, quæ etiam peritiores quandoque titubare facit, non leviter interdum errasse deprehenduntur. Sacerdos, mihi familiaris, in *S. Mauri* Oppido duobus Gemellis, ab alio Sacerdote domi baptizatis, Cæremonias tantum addidit: Præsumpsit enim, eum certè Baptismum contulisse. Infantibus interea mortuis, Sacerdotem eumdem sciscitatus est, quomodo baptizasset; & valde dubium esse Baptismum illum agnovit: Quod aliis etiam exemplis firmare possem. Si vero ab Obstetricibus ministratum fuit hoc Sacra-

mentum, plūs quām solertissima perscrutatio-  
ne ejus validitas erit indaganda: Nam sēpe  
modum nesciunt legitimē baptizandi, utpotē  
ignavæ crassiorisque minervæ; interdum quō-  
que malitiā laborantes. *Panormi*, cūm Anno  
circiter 1713., ex Mandato Archiepiscopi,  
Obstetricum omnium examen à *Carolo Van-  
ni*, Parocho celeberrimo, renovaretur; plu-  
rimi ac varii, ut ab ipso audivi, illarum er-  
rores, etiam circa substantialia, detecti sunt,  
multis se invicem de mala Baptismi administra-  
tione accusantibus; idemque deinde notatum  
est, examine iterūm Anno 1745. circiter in-  
staurato. Sēpe nimrūm illæ nesciunt, aut  
saltem non satīs capiunt, verba, *Ego te bap-  
tizo*, ad formæ substantiam pertinere: Sēpe  
etiam verba illa, *in Nomine Patris*, com-  
mutant in hæc alia, *cum Nomine*, vel, *per  
Nomen*, quæ formam efficiunt dubiam. Cūm  
Parochus essem *Palmæ*, ex tribus Obstetri-  
cibus duæ *per Nomen* dicebant; tertia, præ-  
ter hoc ipsum, suspectæ erat conditionis. In  
prima erudienda diu, multūmque insudatum  
est: In secunda, post decem laboris annos,  
me oleum & operam perdidisse, cognovi:  
In tertia verò, nullo modo fidendum esse ani-  
madverti, ac tunc clarissimē perspexi, quām  
rectè Synodus *Agrigentina* præceperit, ut  
quolibet bimestri Obstetrices novo examini  
subjicerentur, quamvis regulariter id à Paro-  
chis fortasse negligatur. Hujusmodi namque

Mulierculæ non raro durissimæ sunt cervicis, labilisque memoriæ; quam ob rem, quæ ipsis inculcantur, esse reverè necessaria, nequaquam sibi persuadent: Imò tamquam superflua, & à nimia docentium subtilitate manantia floccipendunt; leporem scilicet & lepram, Paulam & caulam idem esse arbitrantes. *Amicus*, Parochus insignis Oppidi *Syracusanæ* Diœcesis, Obstetricem, licet anteà examinatam atque probatam, sub incerta forma plurimos annos baptizasse adinvenit: Quapropter innumeros ille adultos, ab ea baptizatos, quibus tantum Cæremoniæ suppletæ fuerant, iterum sub conditione baptizare coactus est. Quod etiam in Civitate *Xericii* in *Hispania Bætica* accidisse, narrat *Quintanaduen-*  
nas. [a]

3. At supponamus, eas modum baptizandi optimè callere; attamen Baptismus ab eis collatus, erit semper, & in omni casu diligenter trutinandus: Facillimè enim in errorem delabi possunt propter festinationem, quam de Parvulo periclitante baptizando, tum de Matre adjuvanda premuntur; ita ut in tanta rerum turbatione non difficulter ea verba subtilialia, *Ego te baptizo*, omittant; & sola illa proferant, *in Nomine Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*: Insuper, alia

[a] Quintanad. *de Bapt. Sacram. tract.* I.  
*singul. 5. n. 2. & seq.*

verba interdum addant, vel demant, vel saltē immutent, vel etiam in materia ipsa fallantur; quæ tamen omnia præ solicitudine & festinatione non animadvertunt. Prætereo, quæ de quarumdam Obstetricum superstitionarum, ac sagarum diabolica nequitia circumferuntur.

4. Ad hæc attendens S. *Carolus Borromæus*, primò statuit, Obstetrics sub arbitriis pœnis munus proprium, absque prævio examine circa modum dandi Baptismatis, exercere non posse. [a]

Secundò, solis Obstetricibus, quamvis peritis, parum in hujusmodi re credendum voluit, hæc propterea decernens: „ [b] Obstetrix autem, quæ probata est, cùm baptizabit, curet, quoad fieri potest, ut duæ saltem Mulieres, ac Mater præsertim, si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant. Parochus verò, cùm perquireret ex Decreto Provinciali, an Infans baptizatus sit, diligenter Obstetricem & testes, etiam de verbis prolati, interroget, ut sibi constet, an Baptismi forma rectè adhibita sit, an verò sc̄us; quam ob rem oporteat Infantem à se baptizari. „ Fœminas testes nominat; quia Viri abesse à loco supponuntur in hujusmodi circumstantiis.

[a] S. Carol. Borrom. *Acta Mediol. Eccles.*  
edit. Lugdun. A. 1682. t. I. pag. 178.

[b] S. Carol. *ibidem.*

Tertiò, jussit, ut ferè numquam Obstetrici baptizare permitteretur : [a] „ Cùm „ Mulier propè peritura ægrè se habet, de „ ejusque partu timetur ; studeat imprimis „ Parochum in tempore accersere ; aut, si „ eum habere non potest , aliquem ex Ec- „ clesiasticis Ministris ; aut denique Laicum, „ baptizandi peritum, in promptu habere, ut „ ne Obstetricibus Fœminis, nisi in summa „ necessitate , cui aliter provideri nullo mo- „ do potest , baptizandi locus umquam de- „ tur. „

5. Verùm hæc omnia , etsi sapientissimè constituta , saepe in praxi rem non conficiunt: Quocircà, in hac materia non solùm Parochis, sed & Episcopis opus est vigilantiâ, solicitissimi plena timoris. Primò, quia ùt plurimùm necessitas baptizandi Parvulos, propter imminens mortis periculum , est in ipso Partu , in quo, propter honestatem, non nisi Obstetrix baptizat. Secundò , quia Obstetrics de modo , quo baptizaverint, interrogatæ, facile ea referunt, se fecisse & dixisse , quæ animadvertunt se facere & dicere debuisse ; non verò quæ re ipsa , præ solitudine ac festinatione mente alienatæ , fortasse fecerunt atque dixerunt: Etenim, examinis vexatione intellectum dante, recordantur præteritæ instructionis, aptèque respondent, quam-

[a] Idem in Instruct. Bapt.

vis ineptissimè anteà se gesserint. Tertiò, hujusmodi Fœminæ, utpote infimæ conditio-  
nis, non solùm sunt valde incultæ, rudes,  
atque imprudentes, præsertim in locis hu-  
milioribus; sed etiam verecundiâ & timore  
de facili corripiuntur, metuentes, ne cum  
dedecore ab officio removeantur: Adeò, ut  
earum testimonio in tanto negotio non mul-  
tùm sit innitendum. In urbibus verò insigni-  
bus, licet fortè sint cultiores, plurimæ ta-  
men sunt, nec eas omnes Parochus quisque  
noscere probè potest: Nam sæpe alienæ sunt  
parochiæ; sæpe etiam, alio partu impeditæ,  
Infantem discipulæ, vel Obstetrici ad Eccle-  
siam gestandum committunt. Prætereà, nec  
semper, nec ubique Parochus facile testes,  
à Divo *Carolo* præscriptas, examinare pote-  
rit, tum variis de causis; tum, & maximè,  
quia puerpera ejusque auxiliariæ adstantes in  
hujusmodi casibus, ut notat *Quintana duen-*  
*nas*, perturbantur, nec de legibus cogitant,  
ac proptereà cautelam præparandi testes omit-  
tunt. Demum, quod pejus est, Parochi ipsi  
eorumque Administri (pace peritorum dix-  
erim) non omnes ea scientiâ, dexteritate,  
ac diligentia pollent, qua Obstetrices ac tes-  
tes attentè & solerter interrogare, & ab eis  
verum elicere queant.

6. Et quidem antedictæ practicæ difficul-  
tates pluribus Theologis\* persuaserunt, om-

\* Illos vide citatos in Archet. l. 4. c. 7. n. 10.

nes baptizatos ab *Obstetricibus*, esse denuo  
sub conditione baptizandos; quod etiam ple-  
risque *Pastoralibus*, seu *Ritualibus*, & alicubi  
*Statutis quoque Synodalibus decretum est*,  
ac per omnem pene *Siciliam* servatur: Ajunt  
enim, *Romanum Catechismum*, Baptisma-  
ta domi collata reiterare improbantem, non  
loqui expressè de collatis ab *Obstetricibus*;  
at solum dicere, domi baptizatos, non esse  
indiscriminatim rebaptizandos, sed eos tan-  
tum, de quibus, facta diligentि inquisitione,  
dubium remaneat, utrum validè sint baptiza-  
ti: Certum est autem, non omnes, qui do-  
mi baptizantur, ab *Obstetricibus* baptizari.  
Igitur in eorum sententia, monet *Catechis-  
mus*, inquirendum primò, quisnam baptiza-  
verit; &, si Sacerdos vel Clericus, aut Chi-  
rurgus, aut aliis Laicus probè instructus  
baptizavit, inquirendum ulterius, quomodo  
baptizaverit: Festinatio enim in subitaneo  
Baptismo, alicujus erroris occasio esse potuit,  
etiam Sacerdoti ministranti. Qua diligenter  
facta inquisitione, & nullo suboriente dubio  
de Baptismi validitate, non est, cur ille re-  
novetur. At, si baptizans fuisset *Obstetrix*,  
putant citati *Theologi*, aliquam formidinem,  
propter antedicta, remanere semper; ideo-  
que ex ipsa *Catechismi Doctrina* sentiunt,  
reiterationem esse faciendam: Ob summam  
enim Baptismi necessitatem, præsertim in Par-  
vulis, censem, minori dubio opus esse ad

illum, adjecta conditione , repetendum , quām  
ad alia Sacra menta ; maximē , cūm à Conci-  
lio *Carthaginensi* V.\* ita decretum sit : [a]  
,, Placuit de Infantibus , quoties non inve-  
,, niuntur certissimi testes , qui , eos baptiza-  
,, tos esse , sine dubitatione testentur ; neque  
,, ipsi sunt , qui per ætatem idonei de tradi-  
,, tis sibi Sacra mentis respondere possint ,  
,, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos ;  
,, ne ista trepidatio eos faciat Sacramento-  
,, rum purgatione privari .,, Quod Decretum  
probatum fuit à sexta œcumenica Synodo  
Can. 85. , quamvis ea ætate non videatur  
uiisse in usu Baptismus conditionatus , sed  
antùm absolutus .

7. Cæterùm , communiùs Theologi do-  
cent , quòd , si Obstetrices convenienter in-  
structæ reperiantur , ac probatæ sint vitæ ,  
Baptismus non sit iterandus ; nisì cūm , facta  
riùs necessaria inquisitione , aliqua circa ip-  
us validitatem dubitatio remaneret . Hæc au-  
em inquisitio sæpe negligentissimè exerce-  
ar , quamquām ex primò allata Doctorum  
pinione satis evincatur , quām solicitè in dis-  
utiendo Baptismate , ab Obstetricibus dato ,  
Diœcesibus , ubi hoc reiterari non solet ,  
Episcopis & Parochis vigilandum : Nam  
autò constare debet Ecclesiæ , Baptismum fu-  
se ritè & rectè ministratum .

\* Vide in Arch. c. 7. n. 3. & 4.  
[a] Can. Placuit de Consecr. dist. 4.

8. Ut ergo id quām attentiūs fiat, regulas hīc trademus, quas Parochi in examine Baptismatis domi collati perpetuō ac diligenter adhibeant. Baptismus in quatuor Pueri statibus potuit ab Obstetricice conferri: Primō, ubi Puer perfectē natus erat, & domi baptizatus fuit propter periculum: Secundō, ubi Puer natus adhuc perfectē non erat, sed caput emiserat, & in capite baptizatus fuit, reliquo corpore manente in utero: Tertiō, cūm Puer in utero similiter existēbat, sed minūs principale membrum, putā pedem vel manum, non verō caput emiserat, & in dicto minūs principali membro Baptismum accepit: Quartō, cūm Puer totus utero continebatur, sed in se ipso lavari nihilominūs potuit.

9. In primo casu, Parochus de materia, forma, & intentione Obstetricem serīō, addito etiam jurejurando, sciscitabitur. Exquiret præsertim, num ea verba, *Ego te baptizo*, in principio formæ omnino dicenda, pronunciaverit; an verō præ festinatione omiserit. Deinde, quia in his Obstetrices facillimè hallucinantur, & res tam magni refert; duas etiam testes, à Sancto Carolo requisitas, ac præsertim ipsam Pueri Matrem, sub eodem jurejurando examinabit.

10. In secundo casu major est difficultas: Debet enim ultra prædicta, constare primō, Pueri caput, non autem capitis loco alia membra, putā, manum aut pedem, fuisse lota.

Secundō,

Secundò, ipsum caput extra uterum verè fuisse, cùm ablueretur. Tertiò, sufficienter fuisse lotum, & aquam ipsius capitis carnem, non verò summos tantùm capillos tangendo, abluisse: Quæ cùm non ab aliis, sed à solius Obstetricis testimonio hauriri possint, erit ipsa majori solertiâ & dexteritate interroganda.

11. In tertio casu, quamvis ritè ac rectè se gesserit Obstetrix, Baptismus, præmissa conditione, ex ipsius *Ritualis* præcepto erit iterandus: Nam plerisque Doctoribus non valet ille in solo pede vel manu, aut alio minùs principali membro administratus. Tametsi autem hodie ferè communis opinio sit, & ipsum valere, ac *Rituale* præcipiat, in tali statu baptizari Puerum periclitantem, & conditionem, *Si es capax*, non apponat; imò sic baptizatum, deindeque mortuum Ecclesiasticæ Sepulturæ inferri mandet; nihilo minùs, ubi vivus perfectè nascatur, aut caput emittat, denuò sub conditione ad cautelam baptizari decernit: Ne sit vel huic minori dubio æterna Pueri salus obnoxia.

12. Puer in quarto statu baptizatus, et si optimè, certèque materia, forma, & debita intentio servata sit, erit iterum cum conditione baptizandus: Controvertitur enim de validitate Baptismi, si Puelo, in utero adhuc existenti, nec ex parte faltem egresso, conferatur. Et, licet hodie sententia validitatem affirmans communior sit & probabilior; non tamen est certa.

13. Puerorum porrò ab Obstetricie baptizandorum necessitas, non in totaliter natis, qui ad primum statum sìne dubio pertinent, sed ut plurimùm in nascentibus præ partûs difficultate contingit; eaque difficultas in tertio & quarto statu frequenter occurrit, non tamen in secundo: Ubi enim caput egressum est, reliquum etiam corpusculi post se trahit; nisi cùm intereà pariendi fortè vis atque conatus in Matre cessarent.

Igitur Parochi Baptismum in tertio & quarto Parvuli statu ministratum, renovare non prætermittant. Evidem vereor, ne, baptizatum ab Obstetricie Puerum audientes, ad summum de materia, forma, & intentione tantùm interrogent; de statu verò, in quo ille baptizatus fuit, quemque, pro validitatis certitudine trutinanda, in considerationem quoque venire oportet, nullatenus inquirant: In qua quidem omissione peccarent gravissimè, Cœlestem Infantis Beatitudinem evidenti periculo committentes: Nam in universum, ubi, adhibito quām diligentissimo examine, dubium aliquod, sive facti, sive juris, de Baptismate validè ministrato remaneat, Baptismus in omnium sententia erit sub conditione iterandus.

14. Duo demùm hac data occasione permونenda censeo. Primum est, debere Parochos non tantum Obstetrics, sed etiam Populum inducere, ut quām citissimè, imò statim à

nativitate, si fieri potest, natos Pueros generaliter ad Ecclesiam deferant baptizandos: Ac multò magis, ubi cœli, aërisque tempries ad hoc ipsum alliceret. Primo, ut eos absque ulla mora è dœmonis tyrannide in Filiorum Dei libertatem afferamus. Deinde, ut à maleficiis, eorum vitæ ac Baptismo insidiantibus, tueamur: Nam etsi sœpe, quæ de maleficiis mira prædicantur, ad phantasticas illusiones, anilesque fabulas ableganda sint; negari tamen, his non obstantibus, nequit, aliquando verissimè contigisse: Præterquam quodd innumera alia, & frequentiora sunt pericula, propter quæ timendum est, ne tenerimus Puer sinè Baptismo extinguitur. Non licebat olim, juxta veteres Canones, Parvolorum Baptismum ultra duodecimum diem differre. S. *Carolus* [a] hunc terminum ad novem dies, addita excommunicationis poenâ, contraxit: *Romanæ* verò Urbis Disciplinâ, & *Belgicâ*, item *Parisiensis* ex Statutis *Ar læi* Archiepiscopi, poenam interdicti imponentibus, ad tres dumtaxat: [b] *Siculâ* item in quibusdam Diœcesibus ad tres, aut quatuor. [c] At Synodus *Panormitana*, [d] sub

Y 2

[a] *S. Carol. Conc. Mediol.* I. p. 2. n. 1.[b] *Natal. ab Alexan. Theol. Dogm. Moral. tit. 2. de Sacram. Bapt.* c. 4. reg. 3.[c] *Synod. Syracus. Marini. P. I. c. 7. n. 12.*[d] *Synod. Panormit. Palafox. P. 3. c. 2. de Bapt.* n. 17.

excommunicationis comminatione, Parvulos ante diem tertium baptizari præcipit. Postremò, *Agrigentina* [a] statim ad Ecclesiam ferri jubet; & ita *Palmæ*, Diœcesis illius Oppido, ubi Parochus diu præfui, per hiëmem quòque factitatur.

15. Quod secundo loco moneo, à peritissimis animarum Pastoribus accepi, & ipse inconcussè custodivi; non debere nimirùm Parochos facile permittere, ut Sacerdos aliquis, et si doctus, sinè sua, aut suorum Coadjutorum usu peritorum, præsentia, Baptismum administret: Non enim desunt funestissima & dissuadentia exempla. Profectò Ecclesia Dei, antequam Parochum instituat, eique munus baptizandi concredat, ipsum trium Synodalium Examinatorum Judicio subjicit, qui mores, doctrinam, & omnia perscrutentur. Quarè ergo Parochus, mera gratificandi, vel otiandi causâ, debitaque neglecta cautelâ, tantum negotium alteri demandabit? Væ sanè, vae Pastoribus insipientibus & incuriis.

[a] *Synod. Agrigent. Ramirez. P. 2. c. 2. de Bapt. §. Baptismum.*



---

## C A P U T   V. \*

*De necessaria Principum & Episcoporum  
Vigilantia pro Nonnatis.*

1. **P**atris nomen ac Officium non iis tantum, qui nos genuere, tribuimus; sed Principibus etiam, qui *Patres Patriæ* passim audiunt, & subditos suos diligere debent, quas filios, eorumque utilitatibus commodisque prospicere. Quod etiam de eorum Administris ac Magistratibus, proportione servata, sentendum esse, nemo ibit inficias. Principes ergo, etiam nonnatorum, qui germina sunt Reipublicæ sibi creditæ, solicitam ac misericordem curam gerere ex proprio munere tenebuntur. In tribus autem illa consistit: In impediendis abortibus; in sectionibus *Cæsareis* defunctarum promovendis; ac denique in providendo, ut in partibus difficultibus auxilia opportuna tum Proli, tum Puerperæ, inclusò etiam, ubi expediērit, *Cæsareo* viventium Partu, conferantur. Et hujus quidem usum in Nofocomiis præsertim inducent: Ibi enim absentia Propinquorum Gravidæ, Chirurgis omnia permittit. Ita felicium eventuum fama,

Y 3

\* *In Arch. partim c. 4. partim c. 8.*

fectionis horrorem sensim dissipando, ipsam aliis Prægnantibus commendabit. Etsi autem varia circa præmissa à Magistratibus facienda dixerimus, &, quomodò Principes per curam de projectis, abortus impedire possint, \* exposuerimus; illud hoc loco dicendum reservavimus; legem nimirùm aliquam de antedictis omnibus à supremis Principibus esse statuendam. Sanè, nuper tria illa in *Sicilia* exquisitissimis legibus, quæ Opusculi hujus fructus extiterunt, stabilita sunt, & in iis pene omnia prævisa, & singillatim provisa, quæ possent in alia Regna Ditionesque saluberrimè propagari. Egregia est etiam *Friderici*, ad præsens *Borussiæ* Regis, constitutio de erudiendis Obstetricibus: Præcipit ille, ut à Calendis Octobris Anni 1751. in posterum, Obstetrics in theatro anatomico *Berolini* à docto Anatomes Professore, januis clausis, adhibitis etiam subinde muliebrium cadaverum sectionibus, in iis, quæ circa formationem & augmentum Fœtuum, eorumque nativitatem cognoscere oportet, erudiantur, de his omnibus deinde examen subituræ; utque idem in aliis etiam Regni sui civitatibus accuratè servetur, neque post hâc ad obstetricandi munus ullæ admittantur, nisi priùs de instructione atque examine loci Præfecto exhibito docu-

\* *Vid. l. 1. c. 3., ubi, quomodò Principes abortus impedire possint, tractatur.*

mento. Nec parvipendendum Edictum *Henrici Regis Galliarum*, 4. Non. Martii A. 1556. in Parlamento promulgatum, [a] quo sancitum est, ut Matres illegitimè concipientes, si graviditatem occultent vel partum, aut si partus tempore legitimum testimonium vitæ, vel mortis Infantis non ostendant; contrà verò probetur, eum Baptismo, vel publica & solita sepulturâ privatum fuisse, tamquam homicidii reæ extremo supplicio puniantur.

2. Venio ad Episcopos. Quamquām Parenibus, Parochis, Principibus, Magistratibus, ac Medicis curam Infantium nonnatorum commendaverimus; nihilominus necessarium omnino erit, Episcopos, Divinam erga illos prudenteriam & charitatem imitando, Auctoritatem suam interponere, si successum per omnia felicem exoptent.

Ad tria reduci videtur in his Antistitum cura: Scilicet, mala declinanda pernoscere; apta remedia praescribere; & ad horum executionem diligentissimè incumbere.

### §. I.

*Quoad primum: Episcopus in visitatione  
sciscitur à Parochis, Vicario Foraneo,  
Testibusque Synodalibus,*

I. Utrum in loco saepe accident voluntarii, vel involuntarii abortus?

Y 4

[a] In Collect. Fontanor.

II. Utrum Parochi omnem operam ad eos impediendos adhibeant, & qualem; & maximè in graviditatibus infamibus? Ac propterea, num cautè ac solerter interrogent de hujusmodi graviditatibus, ubi prudens de iisdem suspicio suboriatur? Utrum Puerorum illegitimorum Baptismus, eorumque, ubi moriantur, sacra Sepultura negligatur?

III. Utrum in loco sit Nosocomium cum rota ad modum tympani, ac tintinnabulo, quod projecti, ad vitanda immania discrimina, inferantur? Si tamen deest Nosocomium, utrum Universitas, prout indubitati juris est, eosdem excipiat; vel, ob hujusmodi rotæ defectum, sub dio publicis locis exponi soleant cum periculo, ne à canibus devorentur? Et, an projectis iisdem, sive cum schedula de Baptismo testante, sive absque illa repertis, juxta *Romana* Decreta conditionatus Baptismus ministrari consuēverit?

IV. Utrum debita cura vigeat baptizandi abortivos, & an crudelitate, feris ipsis ignota, occidantur?

V. Utrum Fœtus ipsi primorum diërum, qui dant vitæ signa per motum, præmissa conditione, baptizentur? Et an idem fiat, quando, licet motum non ostendant, non tamen laceri sunt, corrupti, aut contusi, atque ideo certò exanimes esse non constat?

VI. Utrum nonnati, si baptizari possunt, vel nati, aut abortivi, quamvis aliquando sine

notu , sinè pulsu , sinè respiratione & sensu mortui videantur , cùm reverà sæpe non sint , dummodò putrefactionem , & alia indubitata mortis signa non præ se ferant , cum conditioe citissimè baptizentur ; curandi posteà , si fortè ad vitæ munia erigi possint ?

VII. Utrùm Conjugati modum conferendi , prementie necessitate , Baptismum , ejusque materiam , ac formæ verba percalleant ? Sanè , cùm abortus frequentissimè contingant , nec semper in hujusmodi casibus præstò sint Sacerdotes , vel alii , qui Infantem baptizare possint ; oporteret à Parochis examinari Sponsoros , num baptizandi ritum calleant , antequam ad Matrimonium admitterentur . \*

VIII. Utrùm Parochi eorumque Adjutores , in ministranda Sacra Eucharistia , vel Pœnitentia Mulieribus conjugatis , vel nuper viduatis , at gravi morbo implicitis , investigent , an sint gravidæ ? Et an idem præstent , si Matrimonio quidem sint solutæ ; verùm prudens aliqua suspicio , vel timor exoriri possit graviditatis earum ?

IX. Utrùm Parochi in Partu *Cæsareo* suadendo ac procurando sint accurati , eique per se ipsos assistant , ita ut in mores abiërit ? Hic Parochi fortasse dicent , in sua Parochia Partum *Cæsareum* in usu esse : At pro certissimo sciant Episcopi , hoc esse plerùmque ,

\* Vid. in Arch. l. I. c. 12. n. 1.

magna saltem ex parte , à veritate alienum  
*Amicus* Parochus , Deo benedicebat , quod  
sibi olim quemdam Puerum liberare hujus-  
modi sectione dedisset ; at , cùm ejus Paro-  
chia ferè duodecim Incolarum millia conti-  
neret , ipsamque ille quindecim annorum spa-  
tio gubernäisset , eum reprehendi : In tanta  
enim temporis amplitudine , tantaque Civium  
frequentia , plurimos liberare debuisset . Is  
ergo , quoniam à Parœcia fortè aberat , scrip-  
sit ad *Œconomum* , ut invigilaret attentiùs .  
Et ecce ! ille citissimè respondet , monitionem  
fuisse peropportunam : Jam enim , occasione  
subinde nata , mortuam gravidam incidi fe-  
cerat , Fœtumque baptizaverat . Sanè depre-  
hendent Episcopi , *Cæsaream* incisionem in  
solis Gravidis non imestribus , ac in partu oc-  
cumbentibus ad summum , frequentari : Tunc  
enim tantùm Parochi mortuarum prægnatio-  
nes agnoscere solent ; reliquæ alto sub silen-  
tio delitescunt .

X. Itaque , diligentissimè inquirat Episco-  
pus , utrùm Partus *Cæsareus* generatim , ut  
debet , in Gravidis omnibus defunctis pera-  
gatur ? An in illis tantùm , quæ in partu , vel  
nono mense moriuntur ; omittatur autem in  
aliis , præsertim , ubi Fœtus sint septimo  
mense minores ? Ac si liceret horum perditio-  
nem tuta conscientiâ permettere .

XI. Utrùm Consanguinei Prægnantium de-  
functarum Partui *Cæsareo* adversentur , eum-

que negligant, vel impedian? Et, utrùm Parochi, ubi eos obstinatos viderint, sæculare brachium invocent, ac laïci Magistratus illud impertiantur?

XII. Utrùm in oppidulis ac pagis inventiatur, qui sectionem efficere noverit? Et, utrùm hic justa sit mercede contentus; an verò postulet excedentem?

XIII. Utrùm post Prægnantis mortem sectio fiat illicò? Et an, dum expectatur peritus, ad Pueri vitam conservandam, Gravidæ venter pannis ad ignem calefactis foveatur?

XIV. Utrùm sectio omittatur eo vano prætextu, quòd longum præterlapsum sit tempus à morte Prægnantis?

XV. Utrùm in oppidulis reperiantur sedes, seu scamna pro partu; & Chirurgi, qui in partu difficiili peritiâ sua & instrumentis, præsertim *Palfiniano* emendato, Parturientem j�are valeant, vivumque Infantem extrahere in columem?

XVI. Utrùm in partibus desperatis, *Cæsarea* viventium incisio in morem venerit?

XVII. Utrùm Obstetrices Puerulos perclitantes, quamvis prorsus in utero fitos, dummodò saltem syphunculo physicè lavari possint, cum conditione baptizent?

XVIII. Utrùm Parochi, saltem quotannis, Obstetricum de Baptismo administrando examen renovent, sive Baptismus ab eis collatus reiterari soleat, sive non; & illas erudiant,

moneantque juxta dicta toto Capite tertio Libri hujus, ea addentes etiam, quæ de monstris Capite quinto Libri tertii tradidimus?

XIX. Utrum Parochi Baptisma domi, præsertim ab Obstetricie, collatum, secundum monita Capite quarto hujus Libri facta, diligentissime discutiant?

XX. Utrum Parochi de orationibus, maximè à parentibus, pro nonnatis ad Deum sæpe fundendis, deque aliis huc usque notatis, populum ex professo, saltem semel in anno, reddant instructum: Parochi enim Obstetrics & Populum in omnibus erudire, quæ pro æterna Infantium salute sunt scitu necessaria, sub gravi culpa obstringuntur. [a]

### §. I I.

*Malorum deinde remedium illud erit; nimirum, regulas aliquot præscribere, quas, ne umquam oblivione deleantur, Synodalibus Constitutionibus inseri necesse est. Præcipuas hic solum attingam.*

I. Primo, statuat Episcopus, non tantum Obstetrics ad munus exercendum non admitti, nisi post examen circa Baptismum, & postquam ipsis alia scitu digna tradita sint;

[a] Roncaglia t. 2. tract. de Bapt. c. 4.  
in Reg. pro Praxi, & alii.

**Sed etiam examen istud singulis annis esse re-novandum ; Obstetricibus, hanc renovationem recusantibus, ab officio interdictis.**

**II.** Deinde, cùm futuri Sponsi ante pro-clamationes circa Fidei rudimenta examen subeunt; de modo etiam Baptismum confe-rendi, cuius ipsi, urgente necessitate, Minis-tri aliquando esse poterunt, examinari decer-nat.

**III.** Tertiò, statuat, ut semel saltem in an-no, putà, die Beatis Innocentibus dicata, ac præterea, ubi se, præsertim in Catechismis, dabit occasio, Parochi sub aliqua mulcta, de cura pro nonnatis habenda Populum edo-ceant. [a]

**IV.** Quartò, in Nosocomiis aliisque piis Domibus, quibus Projectorum onus incum-bit, vel fortè ex fundatione aliave causa in-cumbere debet, rotam cum tintinnabulo pro eorum receptione stabiliri præcipiat.

**V.** Quintò, jubeat projectis generatim, sive cum schedula de recepto Baptismate, sive sinè illa repertis, Baptismum conditionatum esse renovandum.

**VI.** Sextò, indulgentiam primò concedat iis omnibus, qui Parocco procurantes abor-tum, impediendi gratiâ, denunciant. Secun-dò, alicujus moribundæ graviditatem Paro-cho revelantibus. Tertiò, abortivos baptizan-

[a] Ex Edict. Agrigent.

tibus, & ad id coöperantibus. Quartò, his, qui suasione, aut aliter quomodocumqne Partui *Cæsareo* defunctorum industriam suam contribuunt, (ut in Diœcesi *Lingonienſi*, jam indè ab An. 1404., statutum fuit) vel etiam Partui *Cæsareo* viventium, sive adhuc vivo Puerο, sive etiam exanimato. Insuper his, qui qualitercumque Fœtui, vel parturienti ad eum liberandum opitulantur: Quibus omnibus Edictum *Panormitanum*, ac *Montere-galense Jacobi Bonapino Archipræsulis Indulgentiam largiuntur. Demum projectos piè suscipientibus, vel baptizari, & educari cu-rantibus, vel eis quoquo modo ad animæ corporisve salutem opitulantibus.*

### §. III.

*Quod verò ad pœnas: Profectò spirituales parcè sunt irrogandæ; si autem Epis-copo expedire videbitur, poterit excom-municationem, etiam ipso jure, secuto Abortu, vel omissione Cæsarei Partus, ac Parvuli morte, incurrendam impo-nere,*

I. Eis, qui certò scientes, procurari aliquius Gravidæ abortum, nec aliter impedire valentes, Parocho non revelent; etsi satius putem, in eo casu excommunicationem fe-rendæ tantùm sententiaë decerni.

II. His , qui non denunciant , mortuam  
utero gerere ; quamquam sanguine vel affini-  
tate conjuncti sint.

III. Peritis , qui incisionem ad extrahen-  
dum Fœtum , etsi mercede prorsus deficien-  
te , detrectant.

IV. Consanguineis , Domesticis & aliis ,  
qui incisionem impediunt ; etiamsi ea deinde  
fieret , sed irrito eventu , propter antecedentem  
scilicet resistentiam . Poterit autem An-  
tistes pro excommunicationis pœna in præ-  
notatis , personale interdictum , si malit , sub-  
stituere.

V. Nec impunes relinquendi sunt Parochi  
negligentes : proinde , vel mulcta gravis , vel  
pœna suspensionis ipso facto , vel simul ambæ  
statui poterunt ; una scilicet ad supplemen-  
tum alterius adjunctâ : Nempe , ubi , in casu  
resistentiæ , Magistratûs laïci brachium non  
postulaverint ; vel , si opus fuerit , & in Ci-  
vitate Episcopali degerint , ad Episcopum ip-  
sum non convolârint.

Præcipi eis etiam convenit , ut , si aliquis  
intereà Puer absque Baptismo deceperit , ipsi ,  
rogatis tunc sibi de adhibita à se diligentia tes-  
tibus , omnino ad Præfulem referant : In Ci-  
vitate quidem Episcopali , infra tertium diem ;  
per Diœcesim tamen , infra octavum , ac sub  
eadem suspensione , ut delinquentes pœnis  
Canonicis puniantur . Exempla verò hujus-  
modi censurarum habes in variis Edictis Si-  
culis , aliisque .

Pœna quòque suspensionis intorquēri poterit Parochis, per Aquæ benedictæ aspersiōnem dantibus ultimum vale defunctis Gravidis, incisione non facta.

## §. I V.

*Pro executione tamen regularum,  
quas favore Infantium Prælati  
descripserint,*

I. Oportebit, eos cum sæculi Principibus agere, ut novis isti sanctionibus leges, cæteroquì antiquas, de non sepeliendis ante incisionem Gravidis, sub homicidii suppliciis inculcent; atque ut Magistratibus, aliisque Officialibus pœnam decernant, si tam sancta Jura sedulò servari non satagant: Ac multò magis, ubi à Parochis requisiti, non illicò brachium auxiliare concedant. Statutum quòque insinuabunt contra procurantes abortum; vel illegitimorum Filiorum Baptismum, eorumve, si mortui fuerint, Ecclesiasticam sepulturam omittentes. Nec desinent pro expositis etiam, seu projectis instare, ut eâdem lege ipsorum incolmitati & educationi consulatur. Profectò, nobiliora Decreta, quæ in priscis Imperatorum Constitutionibus, ad animarum & Ecclesiastice Disciplinæ bonum conducentia, demiramus, Sanctorum veterum Episcoporum zelo debemus; qui, ut eruditi sæpiùs adnotârunt,

runt, in Synodos, per illud ævum frequentes, congregati, eadem præclarè jam excogitata, maturèque digesta, summis Principibus edenda suggerebant.

II. Præfules ipsi, quæ in hac materia facienda probavimus, & populos, & Parochos in Synodis, Visitationibus, Parochorum congressibus, privatisque cum iisdem colloquiis diligentissimè commonebunt: Vicariis verò foraneis, ac synodalibus testibus injungent, Parochorum circa præmissa negligentiam ad se deferre.

III. Sæpiùs per fide dignos exploratores investigent, utrùm regulæ à se conditæ à Parochis, Vicariis, aliisque ad amissim custodiantur. Hanc verò inquisitionem instituent tam in oppidulis, locisve ignobilioribus, quàm amplissimis in Urbibus: Etenim deteriora & atrociora mala in hujusmodi materia grassantur ut plurimùm, vel in primis, propter Ministerorum quorumdam inscitiam, ac Medicorum defectum; vel in secundis, propter populū multitudinem, & implicatam negotiorum varietatem, quæ non omnia Pastoribus opportunè providere ac moderari permittit. Quis enim crederet, *Parisiis*, \* Urbe scilicet, in qua tanta Civilis & Ecclesiastica emicat Disciplina, *S. Vincentii à Paulo* ætate, cùm singulis annis quadringenti saltem, vel ut minimum trecenti expositi reperirentur, nullum

Z

\* *Vide supra l. I. c. 3. n. 3.*

ex his Baptismate donatum , omnesque tāns  
dem sinè hoc necessario Sacramento dece-  
sisse? Si tot ibi nati tantam cladem subibant;  
quot alios per abortum emissos , quot verò  
alios nonnatos , etiam legitimos , ac Matri-  
bus morientibus consepultos , periisse putan-  
dum est ? Populosæ Civitates silvæ omnino  
funt quām densissimæ , in quibus feræ atque  
serpentes , nimirùm nefanda mala , atque sce-  
lera , uti facillimè se abdunt , ita diutissimè  
quoque delitescunt. Oportet ergo , ut Epis-  
copi , regiorum nemorum custodes imitan-  
do , ad eos extirpandos sedulò incumbant ,  
solertiamque conduplicent: Solet enim Deus  
Episcoporum zelum , in Divina Gloria , ani-  
marumque salute promovenda , benedicere ac  
fortunare.

IV. Imitandum certè *Melitæ Episcoporum*  
studium , ubi cum *Hierosolymitano* Ordine  
pietas & religio confedisse videntur . „ In hac  
„ mea Diœcesi , ait *Paulus Alfarani* , claris-  
„ simus ejusdem urbis Antilles , [a] hæc re-  
„ gula obtinuit à *Cocco Palmerio* , eximiæ  
„ charitatis Episcopo , stabilita : In occultis  
„ nimirùm graviditatibus , Obstetrices omnes ,  
„ gravissimarum pœnarum formidine , eas Fis-  
„ cali generali , vel Profiscalibus Episcopalis  
„ Curiæ secretò renunciare tenentur , ut , re  
„ ab his Præsuli communicata , hic præcep-

[a] *In Epist. ad Auctorem data.*

„ tum de custodia partūs imponere possit, &  
„ Parocho, quem aptiorem judicabit, Sacri  
„ Baptismatis collationem committere: „ [Pu-  
tā Parocho viciniori & accuratiori, quod  
in Civitatibus, ubi multæ ac magnæ sunt  
Parochiæ, ad indecora Puerperia occul-  
tanda summoperè laudandum.] „ Porrò, ex  
„ quo Deus, contrà quām ipse merebar, me  
„ ad Pastoralem hujus Diœcesis Curam assu-  
„ mere dignatus est; sanctam hanc methodum  
„ in plurimis filiarum-familias, aliarumque pu-  
„ ellarum casibus inviolatè retinui. Adden-  
„ dum, hic etiam Chirurgos pari modo, ac  
„ Obstetrices, ad denunciationem obligari. Pa-  
„ rochi autem, juxta Sacrarum Visitationum  
„ Edicta, magna sedulitate in id incumbunt,  
„ ut hujusmodi Prægnantium occultarum no-  
„ titiam affequantur, ad me illicè delaturi.  
„ Cura deinde, quæ in Sacro Nosocomio In-  
„ fantibus expositis exhibetur, adeò mirabilis  
„ est, ut miseræ infelicesque puellæ, quibus  
„ prægnatio turpis acciderit, plenæ fiduciâ,  
„ propter asylum ipsis in sacro isto loco pa-  
„ tescens, de procurando abortu nullatenùs  
„ cogitent. Ad evitandum etiam abortuum cri-  
„ mina, statuit egregius Episcopi *Cocci Pal-*  
„ *merii* zelus, ut inter casus reservatos cum  
„ excommunicationis pœna, tertius hic esset,  
„ [Fætus inanimati abortum procurantes.] „  
„ Quam ob rem nimis raro pullulant abortus  
„ malitiosi. „ Pudeat ergo alios, si qui forte  
sunt, negligentes.

V. Quodsi modus charitati & solertiæ Episcoporum suppetit Infantibus illegitimis succurrenti ; quantò faciliùs impedient , ne legitimi & vivi , cum defuncta matre sepeliantur ? Evidem scio , ad hæc ipsa non exiguum in Episcopis æquè , & in Parochis requiri solicitudinem : Verùm charitas , ubi verè talis est , qualis in Dei Ministris & esse debet , & esse præsumitur , scilicet insignis , obstacula omnia vincit . Expedit sanè , ut Prælati instructionem aliquam , vel edictum concinnent , quætannis populo in die Sanctorum *Innocentium* publicè legendum . Varia ex his\* à *Siculis* Pontificibus lata sunt .

VI. Quoniam verò Episcopi sæpe negotiorum ingenti mole obruuntur ; ne Infantum , præsertim nonnatorum , cura , qui non modica sunt animarum , illis concreditarum , portio , aliquo pacto flaccescat , oportet , ut ipsi aliquem , præsertim Cathedralis Ecclesiæ Canonicum , designent , qui plurima , quæ in hoc Libro proponuntur , & à Præfule statuenda promoteat , & similia pro re nata suggerat facienda , & ex officio , cæteris aliis eadem executuris , immineat : Præcipuum namque Senatorum Ecclesiæ munus est , non solùm Antistiti , rem Divinam facienti , ministrare ; sed eidem etiam in spirituali Gubernio , & pro-

\* Horum aliqua dabit nostra Appendix ; reliqua vid. in App. Arch.


curanda animarum salute consilium auxiliumque conferre.

VII. Postremò, ut hujusmodi regulæ in praxim deducantur, ac deductæ custodiantur, illud summoperè quidem præ oculis habendum, existimo; nimirùm, Prægnantium Domesticos & Conjunctos, Chirurgos, Parochos, aliosve, circa prædicta delinquentes, esse necessariò puniendos: Leges enim omnes præclaræ sunt atque speciosæ; at inutiles & contemptæ jacebunt, si pœnas, numquam reipsâ infligendas, frustrà comminentur. Objurgavit CHRISTUS Apostolos suos, dum hi Pueros ad se venientes arcebant, quod non sinè mysterio Sanctus Marcus tam luculenter enarravit: [a] *Et offerabant illi Parvulos, ut tangeret illos: Discipuli autem comminabantur offerentibus; quod cum videret JESUS, indignè tulit, & ait illis: Sinite Parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: Talium est enim Regnum Dei.*

VIII. Et ut omnia simul dicam: Consanguinei, Sacerdotes, Parochi, Medici, Magistratus, Principes, Episcopi, qui miseri-  
mis Infantibus, de quibus toto hoc Opere  
actum est, non opitulantur, æquè rei sunt,  
ac si reipsâ illos interficerent, & à salutis æter-  
næ consecutione repellerent: Præsertim ve-  
rò, qui majori pollent potestate, qui que te-

nentur alios ad officium cogere, dicente *Seneca*: *Qui non vetat peccare, cùm possit; jubet.* Verùm, si hoc Opus legenti nimis gravia ac difficultia, præsertim ab Episcopis & Parochis, exposcere fortasse videar; fidentissimè respondebo, non debere illum eorum onera, qui CHRISTI Apostolis Discipulisque successere, cum propria tepiditate, vel ignavia metiri; sed cum sublimitate, longitudine, ac latitudine Pastoralis Muneris, cum Cœlestis Gratiæ copia, quæ à Deo tam arduæ vocationi tribuitur, & cum Virorum Apostolicorum, imò & ipsius CHRISTI Domini exemplo, quod aded magnum est & superexcellens, ut Patres, & ex his *Tridentina Synodus*, animarum procurationem onus appellarerint, *ipsis Angelicis humeris formidandum*. Et profectò, Deus tam onerosum, & curis undequaque plenum Divinissimum salvandarum animarum judicat Ministerium, ut, et si minimus Beatorum Angelorum pluribus Regnis gubernandis per se solum sufficiat; nihilominùs ad rei gravitatem ostendendam, nostramque deprimendam audaciam, uni Angelo non nisi unam commiserit animam, & insuper Communitatibus, Archangelos præficerit; Diœcesibus tamen, aut saltem Provinciis, Principatus; Mentes nimirūm præ Angelis, custodiæ singulorum deputatis, & ut plurimūm ex infimo choro demissis, longè sublimiori virtute præstantes. Verùm hac ipsa mi-

rabili ordinatione Sacerdotes suos confirmat & roboretur: Nos enim aperte demonstrat, sub tot ac tantis Protectoribus & Ducibus constitutos, & supernæ gratiæ vigore ac fortitudine animatos & auctos, omnia aggredi, omniaque ad felicem exitum posse perducere, si verè ac unicè animarum salutem, ipsiusque gloriam studiosissimè perquiramus.



## CAPUT VI. \*

*Sancti Francisci Salesii exemplo Ecclesiæ Ministri, præsertim Episcopi & Parochi, ad procurandam nonnatorum salutem accenduntur.*

1. **F**ranciscus, cuius tanta fuit erga omnes benignitas atque beneficentia, ut præ *Tito* generis humani deliciæ meritò appellaretur, in charitate, præsertim erga teneiorem ætatem, speculum fuit Antistitum & Parochorum, & vera imago virtutis. Is in vitæ discrimen, dum utero gestaretur, incidérat, & adeò tandem exilis ortus erat, ut gossipio ad plures menses involvi oportuerit: Verùm contra Medicorum judicium, qui mortem ei ominabantur, Matris orationibus & eleemosynis non solum incolmis; sed non

Z 4

\* In Arch. c. 5.

minùs robustus, quàm virili specie decorus evasit. Periculorum igitur suorum piè memor, erga Pueros, & maximè Infantulos nondum ab utero egressos, ingenti & eximio charitatis affectu ferebatur. Quam ob rem preces pro Fœtu fundendas, ejusque oblationem Deo faciendam, Prægnantibus non uno in loco maximò operè commendat, sanctitatem *Samuëlis*, atque Beatorum *Augustini*, *Thomæ Aquinatis*, *Andreæ Fesulani*, & *Bernardi*, eorum Matrum precibus & oblationibus adscribens. [a] Quin imò de Fœtū nutritione sollicitus, Gravidis jejunium in suis Epistolis vetat. [b] Deus autem, Servi sui pro nonnatis curâ & solitudine mirè se delectari solitum, demonstravit: Cùm enim Mulier atrocissimis irritisque partūs cruciatibus torqueretur, Beatus Vir ad eam *Joannem Franciscum* Fratrem suum cum Zona misit, quam ex B. Virginis *Lauretano* Simulacro detulerat. Vix autem Zonâ illa præcincta Parturiens, Infantulum sinè dolore enixa est. [c]

2. Illud autem celebrius. Hæretica Fœmina Filium baptizari neglexerat, qui propere inexpiatus è vita discessit. Consternata igitur animo ad *Franciscum*, tunc apud *Chabalienses* Apostolico Ministerio fungentem,

[a] S. Francis. Sal. *Introd.* p. 3. c. 38. &  
lib. 3. epist. 1.

[b] Lib. 3. epist. 83. & ultim.

[c] Galizia *Vita di S. Franc.* di Sal. l. 2.  
c. 36.

confugit, promittens, ubi Parvulum is ad vitam revocaret, saltem quodad Baptismate iniarietur, se hæresim ejuraturam. *Franciscus*, zelo utriusque salutis vehementius ardens, tam fervidas ad Deum fudit obsecrationes, ut ejus charitatis flamma vitam Infantis extinctam, si fas est dicere, actutum accenderit. Hic itaque insigni Miraculo redivivus ac baptizatus, biduum supervixit, Matre cum Marito, aliisque multis ad Catholicam Fidem conversis.

3. At verò *Franciscus* non eo solo contentus erat, nimirùm ut Infantuli Baptismate lustrarentur; sed probè sciens, CHRISTUM venisse, ut vitam habeant, & abundantius habeant; & dixisse: *Sinite Parvulos venire ad me: Talium est enim Regnum Cælorum;* ut eosdem ferè à vitæ primordiis ad Deum pertraheret, se Puerum cum Pueris incredibili humanitate præstabat. Arbitrabatur enim, Divinam Gratiam, quò minora in illis obstacula reperit, quam in adultis; eò liberiùs in ipsis, & efficaciùs agere. Sanè, præterquam quod ipsorum confessiones magna cum voluptate audiebat; exigua munuscula filiali amore, & ingenua simplicitate ab eisdem ipsis oblata benignissimè acceptabat: Nuces nempe puerili pugno contentas, castaneas, mala, casei frustum, solidum, obulum, aut semisem. Nummis porrò ad Ecclesiæ fores pauperibus illicò distributis, comestibilia, in fac-

culo gestata, in mensa deponebat, *Œconomo* jubens, ut ea sibi ad prandium apponenterentur, identidem dicens: *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.*

4. Porro *Salesii* in Puerulos charitas, sicut in ejus vita præclarè eluxit, sic nec morte ejus (quæ accidit Die Beatis *Innocentibus* sacra, cùm ea Litaniarum verba, *omnes Sancti Innocentes, orate pro nobis*, pro ipso moriente recitarentur) extincta fuit; sed beatitudine perfectior evasit: Nam sicuti vivens sterilibus fœcunditatis gratiam à Deo impenetrabat, sexum futuræ Prolis prænuncians; sic & in Cœlis non solùm similia beneficia exorare solitus est; sed aqua, Reliquiis ejus benedicta, omnibus cæteroqui bibentibus salutaris, maximè in partu allevando, Puerisque sanandis, elucet: Ita ut *Franciscus Christi Jesu* in amandis Pueris imitator eximus, & in virtutibus illis, quarum specimen exhibit puerilis ætas, longè clarissimus Puerorum Protector à Deo constitutus fuisse videatur. [a]

5. Quarè, cùm ipse, dum viveret, nobilissimam adornaverit orationem, quam Prægnantes ad Divinam Protectionem sibi ac Proli conciliandam, quotidiè ac devotè recitarent; easdem alibi monuimus, ut illam adhibeant,

[a] Galizia *Vita S. Fran.* l. 3. c. 41. & lib. 4. cap. 18.

*Francisci* meritorum efficaciam experturæ: Mos enim Sanctorum est, intercessionibus suis preces nostras corroborare, maximè si eorum verbis utamur. Sic *Nathan*, cùm *Bersabeæ* verba, pro *Salomone* ad *Davidem* facienda, suggestisset, addidit: *Adhuc ibi te loquente cum Rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos*; [a] quod & felicissimo eventu adimplevit.

6. En recens experimentum. *Victoriæ*, quæ Oppidum est populosum, exitialis epidemia tertio jam mense grassabatur: Quam ob rem innuineri perierant, & prægnantium pars maxima abortum faciebat. Prædicatum est à Parocho, ut Gravidæ omnes eam orandi formulam quotidie pronunciarent. Hoc pharmaco abortus conquieverunt: Imò, si qui septimestres Infantes orti deinde sunt, fuere vitales.

7. Igitur, Sancti *Francisci Salesii* exemplo, Sacerdotes omnes, maximè Parochi & Episcopi, speciali zelo inflammentur opertet pro Parvulis, præsertim nonnatis, quorum æterna salus cum temporali periclitatur; mercedem plenissimam pro mensura charitatis atque laboris cum beatissimo Viro in Cœlis consecuturi.

[a] 3. Reg. i. 14.



\* *Oratio Sancti Francisci Salesii, recitanda à Prægnantibus, ex Libro tertio Epistolarum Spiritualium, Epistolâ octogesima tertia.*


**O** Deus æterne, infinitæ bonitatis Pater ! qui Matrimonium ordinasti, ut h̄ic in terra homines multiplicares, & iſthuc Cœlestem Civitatem impleres ; nostrumque sexum ad hoc munus præcipuè destinasti, volens quoque, ut fœcunditas nostra signum esset benedictionis tuæ super nos : Ecce me prostratam ante faciem Majestatis tuæ, quam adoro , pro concepto Infantulo , quem inventre meo creare dignatus es , gratias agens. Verūm, ô Domine ! quoniam hoc tibi placuit, brachium providentiæ tuæ usque ad operis, à te incepti, absolutionem extende : Graviditati meæ tua perfectione succurre , & creaturam , quam in me formare voluisti, usque ad horam, qua in lucem venerit , continua protectione tua mecum porta : Et tunc, ô Deus vitæ meæ ! auxiliare mihi , & Dexterâ sancta tua debilitatem meam confirma, fructumque meum benignis oculis respice , usquequā, sicuti per creationem tuus est, ita media quāque redemptione tuus effici valeat , cùm , Sacrosancti Baptismatis aquā suscepta, in sinum Ecclesiæ Sponsæ tuæ re-

\* In Append. Arch. Mon. 2.

ponetur. ô Salvator animæ meæ ! qui, dūm  
hic in terris degeres, tam vehementer Pue-  
rulos amabas, tamque sæpe in brachiis tuis  
fuscipliebas ; ah ! respice & istum, eumque  
ad sacram adoptionem tuam perducito, ut  
te habens, teque invocans Patrem, Nomen  
tuum in illo sanctificetur, & regnum tuum  
ad ipsum pertineat. Itaque, ô Mundi Re-  
demptor ! eum ex toto corde meo deputo,  
dedico & consecro obedientiæ tuorum Man-  
datorum, amori servitutis tibi debitæ, &  
servituti amoris tui. Quoniam verò Justitia  
tua primam hominum Matrem cum tota pos-  
teritate, multis doloribus & pœnis in partu  
subjecit ; voluntariè labores omnes accepto,  
quos, ô Domine ! hujusmodi occasione pla-  
citum tibi fuerit à me sustinendos permettere.  
Solùm te deprecor propter sacrum, lætum-  
que innocentissimæ Genitricis tuæ partum,  
ut, quo tempore misera vilisque peccatrix  
paritura sum, te mihi propitium præbeas,  
me unà cum Filiolo, quem mihi tribuere  
dignaberis, benedicens benedictione æterni  
amoris tui, quam de tua bonitate summoperè  
confidens, à te humillimè deposco. Tuque,  
Virgo Mater Sanctissima, Domina mea max-  
imè dilecta, & unica Regina, singulare mu-  
lierum decus, sub patrocinio tuo, & in sinu  
maternæ & incomparabilis suavitatis tuæ, de-  
sideria mea & deprecationes recipe, ut Fi-  
lli tui misericordia eas exaudire dignetur.

Hæc à te peto atque exoro, quæ omnium es  
creaturarum amabilissima, propter virginina-  
lem amorem, quo dilectum Sponsum Bea-  
tum JOSEPHUM prosecuta es; propter infinita  
merita Nativitatis Filii tui; propter sanctissi-  
ma viscera, quæ eum portaverunt, & sacra  
übera, quæ eum lactaverunt. O Sancti An-  
geli! ad meam, filiique mei, quem gero,  
custodiam deputati, utrumque nostrum de-  
fendite & gubernate; ut vestro tandem præ-  
sidio ad gloriam, qua fruimini, pervenire  
possimus, ut unà vobiscum communem Re-  
gem nostrum ac Dominum, laudare & ex-  
altare mereamur, qui regnat in sæcula sæ-  
culorum. *Amen.*

*Laudem dicite Deo nostro omnes servi  
eius, & qui timetis eum pusilli, &  
magni. Apoc. 19. 5.*





# APPENDIX.

## MONUMENTUM I.

*Sancti Caroli Borromaei, Archiepiscopi Mediolanensis, Benedictio Mulieris Gravidae, praesertim de cuius infelici partu timetur.*

*Sacerdos dicit :*

Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.  
Terra dedit.

**D**eus misereatur nostri, & benedicat nobis: Illuminet vultum suum supernos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: In omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: Confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate: Et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus: Confiteantur tibi populi omnes: Terra dedit fructum suum.

## 352 APPENDIX.

Benedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos, Deus: Et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri &c.

Terra dedit fructum suum.

*Pater noster &c.*

- ¶. Et ne nos inducas in temptationem.
- R. Sed libera nos à malo.
- ¶. Salvam fac Ancillam tuam.
- R. Deus meus sperantem in te.
- ¶. Esto ei Domine turris fortitudinis.
- R. A facie inimici.
- ¶. Nihil proficiat inimicus in ea.
- R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
- ¶. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
- R. Et de Sion tuere eam.
- ¶. Domine exaudi orationem nostram.
- R. Et clamor noster ad te perveniat.
- ¶. Dominus vobiscum.
- R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

**D**omine Deus, omnium Creator & Rector, accipe, quæsumus, sacrificium cordis contriti, & servens desiderium famulæ tuæ N. humiliter supplicantis pro conservatione

conservatione Prolis debilis, quam dedisti  
eam concipere; & custodi partem tuam,  
atque sanctifica immensa benedictione gratiæ  
tuæ, & defende ab omni dolo & injuria  
inimici, ab omnique adversitate; ut ad lu-  
cem præsentis vitæ, te adjuvante, veniat in-  
columis, tibique cum omnibus jugiter de-  
serviat, & vitam demum consequi mereatur  
æternam. Per Dominum nostrum &c. Rx.  
Amen.

¶. Dominus vobiscum.

Rx. Et cum spiritu tuo.

¶. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

Rx. Amen.

¶. Procedamus cum pace.

Rx. In nomine Christi.

¶. Benedicamus Domino.

Rx. Deo gratias.

*Deinde Aquæ Benedictæ illam aspergit,  
dicens:*

Benedictio Dei omnipotentis Patris,  & Filii,  & Spiritus  Sancti descendat,  
& sit semper super te, & super Prolem tu-  
am, & maneat semper. Amen.



---

## MONUMENTUM II.\*

*Oratio pro Infantibus nonnatis, vel non baptizatis, propter quam quadraginta dierum Indulgentiam toties, quoties in sua Diœcesi recitabitur, concessit Archiepiscopus Panormitanus.*

**P**Ater Cœlestis, qui curam geris etiam paſserum; qui amas homines, eorumque prolem: Parvulos omnes, etiam nonnatos, oculis Misericordiæ tuæ benignissimè respice: Neque permittas, eos finè gratia tua mori; sed tuêre illos ab omni hominum dœmonumque nequitia; ut, opitulante Providentiâ, nati quidem, Baptismum consequantur; nonnati verò, incolumes tempore debito in lucem veniant, atque ita ipsi quaque Sacra Lotione mundentur. Si quos verò, ætate procedente, damnandos prævides, ad te potius jam baptizatos, ante rationis usum misericorditer evoca. Respice in faciem Infantis tui JESU, qui te de Genitricis etiam utero glorificavit, & per Prophetam tibi dixit: *De ventre Matris meæ tu es Protector meus.* Respice MARIAM Beatosque Innocentes, pro Pueris omnibus deprecantes; ne tuus hostis unquam in illorum perditione glorietur. Per Christum &c. Amen.

\* In Arch. Mon. 3.

---

## MONUMENTUM III. \*

*Recens Pragmatica Sicula de Partu Cæ-  
fareo & Abortu.*

CAROLUS, Dei Gratiâ Rex utriusque *Siciliæ*,  
*Hierusalem*, &c. Infans *Hispaniarum*,  
Dux *Parmæ*, *Placentiæ*, & *Castri* &c.  
Magnus hæreditarius *Etruriæ Princeps*  
&c.

V ICE-rex, & Generalis Capitaneus in hoc  
*Siciliæ Regno Reverendissimis, Reve-*  
*rēndis, ac Venerabilibus in CHRISTO Patri-*  
*būs, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus,*  
*Prioribus, eorumque Vicariis, & Locum-te-*  
*nentibus, Parochis, aliisque Officialibus, &*  
*Personis Ecclesiasticis; nec non illustribus,*  
*spectabilibus, magnificis, & nobilibus hu-*  
*jus Regni Officialibus, Magistro Justitiario,*  
*ejusque Locum-tenenti, Præsidibus Regionum*  
*Tribunalium, Judicibus magnæ Regiæ Cu-*  
*riæ, Magistris Rationalibus, Thesaurario &*  
*Conservatori Regalis Patrimonii, Judicibus*  
*Confistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, Ad-*  
*vocatis quoque & Procuratoribus Fiscalibus,*  
*Protomedico præsenti, & futuris hujus *Sici-**  
*liæ Regni; nec non illustribus ac spectabi-*

A a 2

\* In Arch. Mon. 18.

ibus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, & Baronibus, ac etiam Vicariis, Commissariisque Generalibus, per totum hoc *Siciliæ Regnum* destinatis, seu destinandis, armorumque Ducibus, Pro-ttestatibus, vulgò *Justitiæ Capitaneis*, Judicibus, Fiscis, Syndicatoribus, Delegatis, & quibuscumque aliis Officialibus, & Personis Regni prædicti majoribus & minoribus, quo-cumque officio, titulo, auctoritate, potestate, ac dignitate fungentibus, constitutis & con-stituendis, tam præsentibus, quam futuris, cui, vel quibus præsentes præsentatæ fuerint, aut quomodolibet pervenerint, Consiliariis Regiis, Fidelibusque salutem.

Detestabilis usque modò fuit socordia, quæ in plerisque hujus Regni civitatibus & pagis grassabatur, ubi, Mulieribus gravidis mortuis, nulla subibat adstantes cura de Fœtu, seu Infantulo, in Matris utero existente, qui ut plurimùm vivus remanet, prout ex innumeris experimentis compertum est. Nec enim re-cogitabatur, eum per *Cæsareum Partum*, ab ipso Jure communi & civili præceptum, fa-cilè extrahi posse, atque ita ab immatura mor-te liberari, vel saltem ad æternam felicitatem, medio Baptismatis lavacro, perduci: Sed contrà sæpe accidebat, Matrem simul cum con-cepta, et si non agnita Prole, sepeliri. A non-nullis ergo Dei zelo ferventibus Viris, qui mala prædicta ob oculos nostros posuerunt,

excitati, necessarium esse arbitrati sumus, gravissimi hujus negotii examen Præsidum & Consultoris Conventui delegare; qui, cùm pro rei gravitate idipsum maturè digeſſerit, scriptâ nobis consultatione renunciavit, Pragmaticam Constitutionem, numquam intercifuram, esse omnino fanciendam; formamque in ea præscribendam, quæ in hujusmodi casibus necessariò servetur. Huic igitur insinuationi annuentes, per hanc nostram Regiam Secretariam, Chirographum ad Sacrum Regni Concilium direximus, ut, quod ab antedicto Conventu propositum nobis fuerat, exequetur: Sacrum verò Concilium eidem nostro Chirographo obsecundans, sedulò perpendit, quām æquum sit, publicam Auctoritatem ejus generis malis occurrere. Quam ob rem de hujusmodi re, quæ & in se ipsa gravissima est, ac Divinæ Gloriæ, Regiaeque Majestatis quām maximè interest, præsentem Pragmaticam Sanctionem condi & publicari decrevit.

Hujus igitur virtute, omnes Reverendissimos, Reverendos, ac Venerabiles Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Piores, Vicarios, ac Generales, Locum-tenentes, Parochos, Beneficiatos, Cappellanos, aliosque Ecclesiasticos Viros in aliqua dignitate, vel exercitio cujuscumque muneris, vel Jurisdictionis Ecclesiasticae propriæ, vel delegatæ constitutos, vel etiam in statu privato existentes, hortamur, ut omnes pro virili ad id,

quod in ea statuitur, obtinendum, operam  
quique suam conferre studeant; & insimul  
omnibus, & quibuscumque Officialibus laicis  
majoribus, vel minoribus, sive ii ordinariæ  
Regiæ jurisdictioni subjecti sint, sive quocum-  
que foro, etiam præcipuo ac singulari muniti,  
præcipimus, ut & ipsi pro sua quisque parte,  
illos contingente, eidem Constitutioni ad  
amussem, ac sub pœnis infrà describendis,  
obtemperent.

I. Ubi ergo quæcumque Prægnans, cuius-  
cumque gradūs & conditionis obiērit; si Ma-  
ritus, Propinqui, vel Domestici ejusdem, pro-  
babilem opinionem habuerint, eam utero ge-  
rere; onus omnibus his incumbat curandi,  
ut, facta primùm indagine, utrùm reverè ex-  
piraverit, eadem illicò, mediâ operatione *Cæ-  
farei* Partūs, incidatur, utque conceptus In-  
fans extrahatur & baptizetur. Ad quem finem  
assequendum, convenit anteà præmonere Chi-  
rurgum, aliumve peritum, ut infrà explica-  
bitur, qui dictam operationem efficere debe-  
bit; ut ille, necessariis omnibus præparatis,  
ad eam peragendam promptus inveniatur.  
Quodsi fortè peritus habéri statim non posset;  
prædicti, quousquè accurrerit ille, operam  
dabunt, ut Prægnantis defunctæ venter, pan-  
nis lineis igni admotis, calidus interea con-  
servetur.

II. Operationis faciendæ onus principali-  
ter Chirurgis imponimus; & in eorum de-

fectu, Obstetricibus, aut Barbitonforibus; atque, ubi isti minus idonei fuerint, Medicis ipsis physicis, vel aliis, qui potius elegendi videbuntur. Atque ideo jubemus, ut in posterum ii, ad quos pertinet, aliquem ad Barbitonoris, vel Obstetricis munus nequaquam approbent, nisi prius, medio examine, de modo, cæteroqui facillimo, *Cæsareum Partum defunctorum*, ubi expeditat, exequendi, satius peritum sese probaverit. Quocircà jubemus, Regium Protomedicum in omnibus hujus Regni civitatibus & locis, breviter simul & dilucidè prædictæ incisionis methodum decernere, describere, ac publicare; quam volumus ab iis, ad quos attinet, una cum regulis, ad nonnatos Infantes adjuvandos magis necessariis, aliisque similiter, quæ ipse prominùs peritorum instructione præscribenda duxerit, exactè observari.

III. Chirurgis, aliisve, qui operationem, ut suprà, præstituri sunt, mercedem aliquam petere interdicimus, ubi defunctæ Maritus, vel Cognati, qui solvere tenerentur, vel ipsa defuncta pauperie laborent: Ubi tamen hi solvendo essent; non propterea illi mercedem, quæ constitutionum Protomedici taxam excedat, exquirere poterunt: De ipsa vero nunquam pacissentur; imò, neque mentionem ullam habebunt, nisi jam operatione perfecta: Ita ut, si Chirurgi, Medici, Barbitonfores, vel Obstetrics, aliisve, qui in eorum

defectu ab Officialibus Justitiæ ad sectionem idoneus existimaretur, quacumque ratione ad parendum huic legi difficiles sese ostenderent, & propterea, quamquam ad breve tempus, Partum *Cæsareum* remorarentur; Officiales Justitiæ loci, & eorum quisque illis biennalis carceris pœnam, quam statuimus, aliasque nostro, nostrorumque Successorum arbitratu infligendas, interminabitur. Similiter tamen eosdem Officiales adstringimus ad curandum, ut viceversà *Palatino* modo, & absque ulla Judicii figura, justum ac debitum stipendium à defunctæ Propinquis, vel respectivè Hæredibus, operationem administranti diligentissimè persolvatur.

IV. Ubi Gravida Marito careat, Propinquis atque Domesticis; tenebuntur Vicini & alii, qui graviditatis, præsertim illegitimæ, notitiam habuerint, Justitiæ Ministros cum supradicto præventu implorare; quo celerrimè, opportunè, & ex officio dent operam, ut ipsa incisio peragatur: Saltem ejus faciendæ curam, si in loco extiterit Nosocomium, ipsius Rectori committendo; vel aliam sanè viam ineundo, quam pro majori celeritate opportuniorem judicabunt. Ac similiter, si Prægnans Maritum, vel alios Propinquos, aut Domesticos haberet quidem, at incisionem isti negligerent; maximè, si prægnatio sit illegitima; ipsi Vicini Magistratum officium, ut hi provideant, implorare tenebuntur.

V. Omnia quæque hujus Regni Nosocomiorum Rectoribus, ex proprii munera debito, insistendum erit, ut hujusmodi incisio in Gravidis, quæ in eorum Nosocomiis deficerint, pari modo efficiatur.

VI. Ubi clarè non constet, (constare autem est difficillimum) Fœtum, in utero defunctæ Mulieris existentem, jam obiisse; præsumendus semper est vivens: Proinde, incisionis cura & executio ab iis, ad quos, ut supra dictum est, pertinebit, quodcumque tandem tempus à morte Matris elapsum sit, omitti non poterit: Cùm plurima exempla demonstrent, nonnunquam Infantes Matri per diem & amplius in utero supervixisse.

VII. Districtè præterea decernimus, neque Prægnantis defunctæ Maritum, neque Propinquos, neque alium, nemine prorsus excepto, posse incisionem impedire: In casu autem resistentiæ, loci Officiales, hujus Pragmaticæ perpetuò valituaræ, auctoritate, viribus Curiæ realibus & personalibus remedium adhibere debebunt; adeò, ut incisio, absque ulla minima temporis jactura, executioni mandetur: Qui verò sese illi opponent, pœnis infrà irrogandis erunt obnoxii. Officiales etiam, & unusquisque ipsorum, qui hujus rei notitiam, quamvis privatam & extra-judicialem fortiti, non tamen conveniens remedium attulerint, prout ipsis virtute hujus Pragmaticæ vehementer injungitur, de omis-

sione rationem reddere tenebuntur; & ipso facto, si nobiles, in pœnam triennalis carceris in Castro; si verò ignobiles, præter triennalem carcerem, in alias insuper pœnas, nobis nostrisque Successoribus reservatas, incurrisse intelligantur.

VIII. Quoniam verò contingere poterit, ut aliqua defuncta illegitimè utero gerat, quæ virtute præsentis Pragmaticæ, personarum exceptionem non admittentis, ac sub pœnis anteà expressis, & infrà exprimendis, incidi similiter debet; cùmque timendum sit, ne illius Propinqui, ut à dedecore, quod fortè sibi occasione Partus *Cæsarei* obventurum putant, graviditatem occultare contendant, sectionemque impedire; statuimus ac præcipimus omnibus, & quibuscumque Justitiæ Officialibus, peritis, & aliis, qui operationis *Cæsareæ* Mulieribus illegitimè gravidis faciendæ scientiam habêre, vel ei quomodocumque operam dare debebunt, ut, qualibet oppositione & opinione Propinquorum contempta, illam perficiant; omni tamen prudentiâ, dexteritate, & silentio utentes: Ita ut nemini prorsus, qui operationi non sit omnino necessarius, ejus rei vel levis notitia communicetur. Eosdem ergo præmonemus, quod, ubi sive ex malitia, sive etiam ex negligencia, rem debita prudentiâ ac dexteritate non bene gesserint, ad ipsorum punitionem, pro ignaviæ & inobedientiæ ratione, deveniemus.

Qui tamen antedictam executionem impedire tentabunt, vel ei sese opponent; pœnis contra Partūs *Cæsarei* detrectatores, in hujus Pragmaticæ fine sanciendis, meritò subjec-tientur.

IX. Parochos insuper omnes hujus Regni etiam atque etiam hortamur, ut Legum Ecclesiæ memores, majori, quâ possunt, diligentiâ atque solertiâ invigilent, ne unquam Mulieres, in graviditate defunctæ, sepeliantur, nisi facta priùs incisione. Itaque hasce Prægnantes ad sepulturam deferri, eisque lustralem aquam impertiri nullo sanè modo permittant: Quin imò per semetipſos, ubi Propinqui obſtent, Officialium localium auxiliū invocabunt, qui, uti suprà dictum est, de re ipsa rationem erunt deinde reddituri. Similiter quðque Reverendissimos Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, in hoc Regno Jurisdictionis Ecclesiasticæ usu pollentes, hortamur, ut Parochos, & alios Ecclesiasticos Homines sibi subjectos, antedicta omnia implere adigant, sub pœnis illis, quas adversùs eosdem in suis Edictis, vel Diœcesana Synodo, pro rei gravitate & magnitudine, decernendas arbitrabuntur.

X. Quanta maxima fieri potest severitate, non solum sub pœnis infrà exponendis interdicimus, ne qua omnino Prægnans, quolibet excogitabili modo, abortum procuret; sed, & ne alii ad ipsum quidquam auxiliī,

quamvis minimum, coöperationem, consilium-  
ve contribuant, sub poenis iisdem. Prohibi-  
tum sit præterea Medicis, Chirurgis, Ob-  
stetricibus; Barbitonforibus, Pharmacopolis,  
cæterisque omnibus, præscribere, porrigere,  
adhibere, aut vendere medicinas, vel alia  
quæcumque remedia, ad finem adeò perni-  
ciosum conducibilia. Supradictis ergo jube-  
mus, ut majori, quâ possunt, circumspecti-  
one semper utantur, ubi in suspicionem ve-  
nerint, sive Gravidas, sive alios prædicta  
pharmaca, vel alia remedia, eo pravo con-  
silio, abortum scilicet procurandi, postulare:  
Cùm eo casu manum retrahere debeant, &  
ab eis dandis, vel exercendis abstinere. In  
Prægnantium autem curatione, teneantur Me-  
dici summa diligentia atque cautela, à cha-  
ritatis lege imperatis, incedere; ne concepto  
Fœtui, medicaminibus à se tribuendis, nocu-  
mentum, aut mortis, vel abortus periculum  
inferatur. Quocircà, eos etiam hortamur, qui-  
bus compertum est, abortum procurari, ut,  
si aliis impediendi modus non eluceat, id  
Potestati seu Justitiæ Capitaneo, vel alicui  
Officiali secretò denuncient; quo, ad malum  
arcendum, ipsi media opportuna disponant.

XI. In Graviditatibus illegitimis, onus erit  
hujusmodi Magistratum, aliorumve Officia-  
lium, ad quos earum notitia pervenerit; &  
cœteroquì prudenter timere poterunt, ne  
aliquis ex malitia sequatur abortus, quanto-

citiūs ad prudentes ac secretas præmonitiones & cautelas, pro partū custodia, procedere possunt, ut Prægnans, ejusque Propinqui congruo tempore de Fœtu respondere teneantur: Ac, si Prægnans pauper sit, Obstetricem aliquam, aliamve personam, quæ sollicitudinem illius gerat, deputabunt; omnem tamen adhibendo circumspectionem, charitatem, zelum, atque silentium, quæ in similibus requiruntur.

XII. Volumus etiam, & hujus Pragmaticæ virtute sancimus, ne unquam in abortibus, qui amodò contigerint, Conjuncti, Domestici, aliive, qui fortè aderunt, Fœtum imprudenti socordiâ projiciant, vel derelinquant: Sed attentè, ac diligentissimè perscrutentur, an vivat; quo statim, quid circa Baptismi collationem agendum sit, deliberari possit.

XIII. Pari modo statuimus tam in abortu, quam in partu naturali, nemini licere Fœtum, quia deformem, occidere, sicuti, barbaro certè more, multoties factitatum est. Si tamen verè sit Monstrum, Parochum esse advocandum; ut, juxta Ecclesiæ leges in *Rituali* præscriptas, utrum Baptismus dandus, vel denegandus sit, judicet ipse: Vel, si necessarium videatur, atque per tempus fortasse liceat, Episcopum consulat, aliosque peritos.

XIV. Demùm præcipimus, atque statui-

mus, quemcumque hujus perpetuò valiturse Pragmaticæ transgressorem, sive Maritus ille sit, sive sanguine conjunctus, vel conjuncta, uti suprà, sive alia quævis persona, cuius dolo, impedimento, vel negligentiâ *Cæsarrei* Partûs operatio cum damno Fœtûs omit-tatur, aut saltem retardetur; eum insuper, cuius malitiâ violentus abortus, ut antea dic-tum fuit, evenerit; habendos esse criminis homicidii patratores. Quâpropter, contra do-losos hujuscemodi reos, & negligentes transgressores, vel impedientes, Officialibus Justitiæ hujus Regni mandamus, ut severi-ori, quâ possunt, methodo processum om-nino construant, illosque carceribus tradant, & consueta formâ, & juxtâ Ritum Legesque Regni, capitali judicio persequantur; quo de-inde ab iis, ad quos pertinet, pro ratione tum qualitatis & circumstantiarum in cri-mine, tum doli & gravitatis negligentiae re-pertæ, ad pœnas damnari valeant, quibus homicidia cöercentur. Istorum ergo malefi-ciorum notitiam, ubi contigerint, ad nos, prout facere tenentur in aliis, per Tribunal Magnæ Regiæ Curiæ Criminalis transmit-tant; cui quidem contra prædictos transgres-sores, nisi iidem loci Magistratus meri & mixti Imperii gaudeant exercitio, priva-tivè procedere jubemus, nullo pro hujusmo-di criminibus fori privilegio, quamvis max-imo, quo rei fortè muniti sint, beneficio


admissō: Volumus enim eos, in casibus antedictis, Regiæ Majestatis Jurisdictioni ordinariæ unicè ac privativè subjectos. Regium insuper Fiscum posse, in defectu accusatoris, principaliter agere & subintrare, ut adversus reos judicium instituatur, ipsique puniantur. Jubemus denique, præsentem constitutionem in suis omnibus articulis ac sensibus, totoque tenore, utpote hujus Regni Legem inviolabilem atque perpetuam, ad amissim, & diligentē executionē servari. Quocircā, ut unusquisque illius scientiam assequatur, statuimus, eam consueta formā publicandam esse, atque ab iis, ad quos pertinet, debitī locis registrandam: Neque secūs ullatenū à quoquam esse faciendum. Datum Panormi die nona Augusti duodecimæ Indictionis 1749.

## DUX DE LA VIEVILLE.

Jo. Thomas Lore-	D. Nicolaus Mira,
dano, Præses Magnæ	Præses Consistorii.*
Regiæ Curiæ.	

\* Cæteros, longa serie enumeratos, vide in Arch. Mon. 4.





## MONUMENTUM IV.\*

*Edictum Archiepiscopi Panormitani, primi  
in Siciliæ Regno Metropolitani.*

NOS Fr. D. JOSEPH MELENDEZ &c.  
ARCHIEPISCOPUS &c.

**H**Orribilis quidem, & numerosa strages illa fuit, quam olim *Innocentium* Parvulorum corporibus *Herodes* intulit; at multò numerosior est atque funestior, altera, quam quotidiè in tot animabus Puerorum, sinè Baptisinate decedentium, Satanás exerce-re consuēvit: Prima enim, tandem ad ornandum Martyribus Cœlum; secunda verò, ad implendum reprobis Lymbum inservit. Infelicium ergo Parvulorum miseratione commoti, debitam Pastoralis nostri Muneris partem judicavimus, hoc perpetuo Edicto admonere, inculcare, ac respectivè præcipere, quæ sequuntur.

I. Ac primò, Patribus, Matribusque denunciamus, eos ad vitam Prolis conservandam, ejusque bonum spirituale procurandum adstringi. Prægnantes igitur omnia, quæ ipsis abortum creare possunt, evitare tenentur:

\* In Arch. Mon. 7.

tur: Putà, pondera nimis ingentia attollere, valdè laboriosa opera adoriri, ac similia facitare: Contrà verò, ad ea omnia præstanda obligari, quæ ad Fœtūs conservationem necessaria existimantur. Si enim grande peccatum est, generationem tantummodò impedire; quantò majus erit, ex malitia, vel negligentia abortui causam præbêre, quamvis Fœtum nondum animatum esse credamus?

II. Qui quomodocumque Mulieris abortum, animato Fœtu, solicitat, verum atque horrendum unius, vel plurium innocentium, quot fortè Fœtus erant, perpetrat homicidium; nec tantùm corporis, sed & animæ, cùm facile sinè Baptismate moriantur. Incidit etiam ipso facto in excommunicationem, Papæ reservataim, quæ non ab aliis, sed à nobis tantùm absolvi poterit.

III. Qui aliquem noverit abortum procurare, si non alia impediendi supereft via, Parochio, ut is provideat, revelare tenetur.

IV. Cùm incertum sit animationis tempus, quam plerique auctores primis graviditatis diebus contingere putant; in quocumque abortu sedulò inspiciendus est Fœtus: Ac, si quantumvis exiguus, & imperfectissimè figuratus, aliquem tamen motum ostendat, illico sub conditione, *Si es capax*, baptizetur: Si verò motum non ostendat, sed nihilominus humanus Embryo esse dignoscitur, nec tamen contusus, vel corruptus; eo sanè casu,

quia fortè vivit, quamvis moveri non possit, quòd organa ad motum adhuc apta non habeat; graves Doctores, baptizandum sub conditione, docent atque ita nos faciendum esse monemus.

V. Baptismus, juxta Synodum, ante tertium diem Infantibus conferatur: Neque hi ante secundum annum expletum in lecto, sed in cunis collocentur, ne opprimi, vel suffocari contingat; præsertim, si manusculas habent fasciis inclusas.

VI. Prægnans ubi moriatur, Partu *Cæsareo*, juxtà *Ritualis* præceptum, est incidenda, ut Fœtus extrahatur, & illicè baptizetur. Qui incisionem impedit, vel graviditatem sciens, non eam Parocho, antequam expiret Gravida, revelat, lethaliter peccat. Nos autem tam incisionem impedientibus, quām perito eam aggredi recusanti, effectu secuto, mortuo scilicet Infante sinè Baptismate, excommunicationem ipso facto subeundam, nobisque reservatam, imponimus.

VII. Incisio nec in graviditatibus illegitimis omittetur: Maxima verò prudentia, perspicacia, cautela & silentium adhibebitur.

VIII. Peritus autem sub gravi peccato ad incisionem faciendam tenetur, quamvis mercedem non speret, etiam in dubio, an Fœtus vivat. Quòd si Chirurgus desit, ex Decreto Pragmaticæ latæ V. Idus Augusti 1749., incisionem præstabit Obstetrix, vel Barbiton-

## APPENDIX.

37<sup>E</sup>

for, vel Medicus Physicus, vel alter, qui ad rem ipsam præ aliis magis aptus esse videatur: Dum verò expectatur, qui incisionem sit executurus, defunctæ venter calidus conservetur.

IX. Parochi eorumque Administri, sub gravibus arbitrio nostro pœnis, Aquam lustralem Gravidis defunctis ac sepeliendis, non impertinentur, nisi priùs extracto Fœtu. Si autem Propinqui Domesticive defunctæ incisionem detrectabunt; Parochis præcipimus, omnia protinus media pertentare, ut eos ad officium inducant: Maximè autem expediet, statim ad Officiales Justitiæ sæcularis convolare, qui, ejusdem Pragmaticæ virtute, sub gravibus pœnis obstantes incisioni, compellere, Chirurgum, vel alium ad eam exequendam adigere, & de omissionibus rationem reddere tenebuntur.

X. Incisio juxta *Rituale*, postquam Prægnantis mors certa deprehendetur, fiet illicet, semperque indagandum erit, utrum Fœtus unus, an multiplex fortè sit; at si mora intercesserit, qualecumque tandem tempus elapsum fuerit, nunquam prætermittatur: Vivi enim Infantes post unum, vel alterum diem, quantumvis mole minimi, aliquando inventi sunt.

XI. Tum in abortibus, tum in partibus naturalibus, vel *Cæsareis*, Fœtus, etsi deformis, non occidatur: Si autem verum sit monstrum,

tunc, quodad Baptisnum ipsi ministrandum, vel denegandum, *Rituale* servetur; ac, si dubium remaneat, tempusque permittat, res nobis deferatur, vel Parocho, aliisve peritis. Ubi verò periculum est in mora, sub conditione baptizetur.

XII. Si quis tamen monstra interficiens, certò, vel dubiè rationali animâ informata, obstaculo esset, quo minùs ad Baptisnum, vel absolutum, vel respectivè conditionatum pervenirent; ipso factò in excommunicacionem nobis reservatam incurret.

XIII. Contrà verò, Indulgentiam diërum quadraginta elargimur ei, qui, cùm tentatur abortus, id Parocho, ad finem impediendi, denunciat; vel moribundæ, aut mortuæ graviditatem revelat: Insuper, qui abortivos baptizat, vel ad id coöperatur: Qui Partum Cæfareum efficiendum procurat: Qui quoquomodo Fœtui subvenit; vel Gravidæ adjuvandæ, etiam illo extincto, dat operam. Cæterum, noverint omnes, quòd sicuti, qui alicui ex prædictis Infantibus causa perditionis extiterint, in terribilem superni Numinis incident ultionem; ita Divina Munificentia eos, qui æternæ illorum coöperabuntur saluti, remunerari non desinet.


XIV. Quapropter, præsens Edictum quotannis in hac Metropolitana Ecclesia, omnibusque hujus Diœcesis Parochialibus, die Sanctis *Innocentibus* dicato, inter Missa-

rum solemnia præcipimus perlegendum; qua sumpta occasione Parochi, novo examini, de modo Baptismatis ministrandi, subjicient Obstetrics; quod & nunc facient, statim ac Edictum ipsum ad eos pervenerit; ac deinde singulis annis, unâ cum Vicariis foraneis, communi Epistolâ, infra dies quindecim, magnæ huic Metropolitanæ Curiæ antedictum reiteratum Examen Lectionemque significabunt. Datum ex nostro Palatio Archiepiscopali VI. Idus Januarii 1750.

*Ex Mandato Dominationis suæ Illustriſſimæ & Reverendissimæ*

SAC. JOANNES ROBBA *Cancellarius,*  
*& Magister Notarius.*





## MONUMENTUM V.

*Edictum PETRI GALLETI, Episcopi Cata-nensis & Inquisitoris Generalis, de Partu Cæsareo & Nuptiali Be-nedictione.*

NOS VINCENTIUS MARIA PATERNO,  
Trigona Baro Raddusæ & Dexteræ,  
Dominus Gulphi &c. Patritius Cata-nensis, & Petri Galleti Episcopi Cata-nensis Generalis Inquisitoris &c. Vicarius Generalis, & in hoc totius Regni Lyceo Magnus Pro-Cancellarius.

**C**Um periculum pereundi absque Baptis-mate, in quo Fœtus, Prægnantibus mor-tuis, remanentes in utero versantur, accuratè perpenderimus, ac simul probè noverimus, quæ de Cæsareo Partu Auctores eruditissimi, præsertim celeber *Theophilus Rainaudus*, [a] *Ludovicus Scildere*, [b] & *Gregorius Gobatus* [c] tradiderunt; nostrum indeclina-bile onus existimavimus, nonnulla gravissimis

[a] *Theophil. Rainaud. tom. 14. de Ort. Infant. per sect. Cæsar.*

[b] *Ludov. Scildere tract. 6. n. 9.*

[c] *Georg. Gobat. tract. 2. de bapt. n. 57.*

in hac materia contingentibus malis remedia,  
per sequentia Mandata parare.

I. Et primò, Parochis omnibus Curatisque Capellanis nostræ Diœcesis in memoriam reducimus, quām magni sit ad eorum munus momenti, æternam salutem animabus omnibus sibi commissis procurare; ne in Divinam illam indignationem incurant, adeò gravi sententiâ à Propheta *Ezechiele* declaratam: [a] *Sanguinem eorum requiram de manu vestra*: Ipsisque majori, quā possimus, efficaciâ injungimus & mandamus, ut, cùm ad ultima Sacra menta Prægnantibus ministranda vocabuntur, illicò id sibi, tamquām suæ sollicitudinis scopum, præstituant; nimirùm post earum obitum illas quantò citius esse incidendas, quo Baptismus Fœtui conferatur. Præceptum igitur ante omnia Consanguineis ac Familiaribus dilucidè imponant, ut defunctæ ori fistulam arundineam adaptent, quæ à faucibus ad labia liberam respirationis viam servet Infantì, qui vivus, non verò mortuus, est præsumendus, propter innumera experimenta, quæ Parochis zelo ferventibus acciderunt: Nam ex his quidam in epistola nobis missa, Infantem post viginti tres horas à morte Matris vivum se reperisse, testatur.

II. Iisdem etiam animarum Rectoribus sub pœna excommunicationis, ipso facto incur-

B b 4

[a] Vanespen. p. 2. tit. 2. cap. 4. n. 25.

rendæ, nobisque reservatæ, mandamus, ut, quemadmodum ipsi debent imminentि prægnantium Fœminarum transitui omnino interesse; ita & debent eamdem incisionem, quanto citius peragendam curare; brachium quòque fœcularis Justitiæ, si opus fuerit, implorando; ut Sacri Baptismatis aquis Fœtus eo meliori modo, quo poterit, vel absolutè, vel conditionatè abluatur. Quodsi prædicti Rectores rationabiliter timeant mortuæ Prægnantis Propinquos, fortè reluctaturos; sciant, se pro suo munere strictè tenéri, attentè atque sollicitè per se ipsos assistere, quòdusque *Cæsarea* operatio perficiatur omnino.

III. Sub eadem pœna mandamus, quod, ubi ad operationem faciendam periti, præsertim in locis minoribus, desiderentur; Parochi sese obligatos agnoscant ad eos, & quidem, quos poterunt magis idoneos, exquirendos. Ubi verò neminem habere possint, ne scrupulo sibi ducant Parochi hujusmodi incisionem facere per se ipsos, postquam ejus peragendæ modum didicerint, ne animæ Infantis, Divini Agni pretiosissimo Sanguine redemptæ, perditionem permittant. Hujus sententiæ vadem, præter multos alios eruditos Auctores, damus *Vanespenium*, [a] qui nequaquam dubitavit in suo de Rebus Canoniciis Opere apertè docere: *Cum non raro*

[a] *Vanespen. loco cit.*

*contingat, nullum in Parochia reperiri, aut hic & nunc haberi posse, qui peritiam modumque convenientem aperiendi uterum, & extrahendi Infantem habeat, oportet, ut ipsimet Pastores, præcipue rurales, hujus rei aliquam notitiam à perito aliquo accipient, quâ subinde, cogente necessitate, uti possint.*

IV. Si quando acciderit, mortuæ Prægnantis Cognatos, aliquo vano prætextu, incisioni prædictæ sese opponere; vel Chirurgos mercedem sibi, cæteroquì ex justitia indebitam, postulare, ad quam Conjunctorum vires extendi non possent; tunc primò, Parochi benigna omnia media experientur, ut eos ad Partum *Cæsareum* persuadeant; secùs utrisque, omnibusque aliis, qui obstarent, quo minus Puerorum nonnatorum animæ in æternæ salutis statum adducantur, pœnam excommunicationis ipso facto incurriendæ comminabuntur; quamquam, ubi graviditates occultæ & infames fuerint, Parochi circumspectè se gerere debebunt, juxta prudentiæ, moralisque scientiæ regulas.

V. Cum eruditorum ac celebrium Doctorum, etiam in praxi probabilissima sententia doceat, tenèri Matrem ex charitatis præcepto, id aliquem novum dolorem in *Cæsarea* incisione sustinendum, ut proprio Fœtui de æterna felicitate provideat: Parochi, tamquam ræcipuam sui muneric partem sibi statuant,

eam doctrinam à se tradendam esse , ubi id expediens & opportunum videatur. Etenim hac ætate , post tot experimenta, Chirurgorum ars adeò in mechanicis operationibus eminet , ut & Fœtum ad Baptismum suscipiendum extrahere possit , & Prægnantis vitam , quamquam dissectæ , servare. [a]

VI. Pro tanti ergo negoti magnitudine , Parochi omnem diligentiam & solicitudinem conferant , ne per errorem Prægnans citò mortua credatur : Verùm , antequàm ad incisionem deveniendum sit , attentiùs explorent , utrùm ipsa verè jam animam efflaverit. Id circò lumen parvæ candelæ cereæ , labiis Gravidæ admovéri curabunt ; vel vasculum vitreum , aquâ plenum , ventris orificio superimponi : Motu enim alterutrius facilè deprehenditur , utrùm illa vivat , an non. Certi ergo , Prægnantem expirasse , exquisitissimam solertiam impendent , non solùm in extrahendo ad lucis consortium Fœtu , sed etiam in perscrutando , utrùm sit unus , an plures , ut singulis Sacra Lotio tribuatur.

VII. Atque hic speciali memoriâ dignum est , gravissimum illud , quod Pastoribus incumbit , onus ; non expectandi scilicet petitionem infirmorum , è plebe sua periclitant-

[a] Bodow. Ventilabr. p. 2. q. 20. Gobat n. 254. La Croix lib. 6. p. 1. art. 2. dub. C q. 52. §. 2. n. 293. Et præ omnibus Rainaud c. 5.

tium; sed propriæ charitatis impulsu vocationem præveniendi. Ad eos ergo promptè recreandos atque adjuvandos, veros animarum sese amatores exhibeant, illorum confessiones excipiendo, Sacrum Viaticum & extremam Unctionem administrando, eosque constanti & fervida assistentiâ in ultimis vitæ periodis dignando, maximè si pauperes illi sint, ac prorsus auxilio indigentes.

VIII. Demùm universalis Ecclesiæ sensum sequentes, quæ nuptialem Benedictionem tanti facit, eamque Matrimoniis jam ratis impertiendam decrevit; Parochorum zelum excitandum judicamus, ne Sponsos efficacissimè hortari desinant, ut ad Templa conveniant, ac Missæ, quæ pro Sponso & Sponsa celebrabitur, intersint, benedictionem consecuturi. Nequaquam verò ista negligant, ut quidam faciunt, qui, cùm cæteroquì aliorum specula esse deberent, nimirùm Nobiles, tanto bono sese-ipsos nihilominùs arcent. Ut igitur hujusmodi pervicaciam, Christianæ Fidei lumeni tam adversam, aliquando pervincant, Parochi eos edocere nitantur, quām magni sint ac jucundi, quāmque perennes fructus benedictionis istius, quam non sine aliorum admiratione refugiunt. Nam etsi fortè 'prospero, sed raro eventu, res ipsis feliciter cedant; hoc nequaquam obstante, admonendi erunt, quām turpe sit, semet-ipsos tantæ benedictionis gratiâ indignos ostendere; ut dein-

de, quamvis Matrimonii vinculo jam diu antè ligati, eam in pretiosissimis habeant, eâque tandem ad Ecclesiam venientes, potiri mereantur.

IX. Præterea meminerint Parochi, quām serio Sponsos de futuro, instruere teneantur, ut ab illo caveant abusu, animabus exitiali; scilicet, antequām in faciem Ecclesiæ ratum contraxerint Matrimonium, inter se absque necessaria cautela & assidua propinquiorum Consanguineorum præsentia, familiariter conversandi. Eos propterea commonesciant, ut apertis oculis proximum periculum cernant, in ea peccata prolabendi, ad quæ facillimè alliciuntur. Verūm, si monitis hisce non expergefacti, in eadem domo simul de nocte commorari perrexerint; ipsis denuncient, jam in excommunicationem, nobis reservatam, Vicariis verò, Parochis, & Cappellanis Curatis delegatam, incurrisse. Nam similem omnino censuram sapiens ac zelotes *Lucensis Episcopus* imposuit atque decrevit, his admodum verbis: *Sponsi de futuro sub eodem te<sup>cto</sup> pernoctantes sinè nostra, vel Vicarii Generalis licentia, incidunt ipso facto in excommunicationem nobis reservatam.* Ita enim refert *Constantinus Roncaglia*, egregius Theologus, & inclytæ Congregationis à Matre Dei ornamentum. Hæc autem Mandata atque pœnam, virtute præsentis, à Parochis populo pluries omnino per annum explicanda


## APPENDIX.

381

esse, declaramus: Necessarium enim est, eorum reficari memoriam, ut sic in praxim, conscientiâ extimulante, deducantur. Statuimus verò, præsens Edictum in Sacellis Ecclesiasticis nostræ Dioecesis affigi & custodiri.  
*Cataneæ Calendis Junii 1742.*

VINCENTIUS MARIA PA-  
TERNO TRIGONA *Vi-*  
Locus † Sigilli                    *carius Generalis.*

JOANNES SYNDONA *Ma-*  
*gister Notarius.*





## MONUMENTUM VI.

*Edictum Episcopi Agrigentini pro Mulieribus gravidis & moribundis.*

NOS D. LAURENTIUS JOENIUS AB ARAGONIA, è Ducibus *Andegavensis*-bus, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus *Agrigentinus*, Pontificii Solii Assistens, Regius Consiliarius &c.

**D**eplorabilis quidem est calamitas illa, quod, Prægnantibus mortuis, nulla, ut plurimum, curâ Propinqui premuntur, ut illæ, juxta *Romani Ritualis* præscriptum, [a] incidentur, ac ita Parvuli saltem Baptismate donentur. Quod frequentius accidit in gravitatibus occultis & illegitimis, in quibus Matres ipsæ abortum sæpe moliuntur. Necesarium ergo duximus, Parochorum zelum hoc Edicto, perpetuò valituro, esse incitandum, ac sequentium regularum usum esse statuendum.

I. Præcipimus ergo, ut, si quæ Prægnans in mortis periculo versetur, ejus Domestici, ipsiusque ac Fœtûs Propinqui statim id Parrocho significant; quodsi illi negligerent, idem onus notitiæ deferendæ, sub gravi culpa,

[a] *Ritual. Roman. de Bapt. Parvul. tit.*

etiam extraneis, ejus rei consciis, incumbat: Cùm omnes, juxta *Possevinum*, [a] non minùs, quàm Parochus ipse, in extrema illa necessitate Infantulo succurrere teneantur. Si verò supradicti Propinqui atque Domestici suo muneri desint, ac Puerulus propterea sinè Baptismo perierit; omnes ipso facto majorem excommunicationem incurrant.

II. Parochis ipsis præcipimus, ut *Conjunctis* non fidentes, de quibus scriptum est: *Immici hominis domestici ejus*; attentè semper atque sollicitè investigent, utrùm Fœminæ conjugatæ, quæ Viaticum accepturæ sunt, vel Pœnitentiâ in morbis gravibus expiandæ, utero gerant, dicente *Mussartio* in *Manuali Parochorum* cum *Gobato*: [b] *Tibi, Paroche, ex singulari causa incumbet*. Hæc autem inquisitio multò magis facienda est, ubi suspicio, seu justus timor habetur occultæ graviditatis; veluti, exempli gratiâ, si Mulier non conjugata, præsertim juvencula, carnalia delicta confiteatur: Tunc enim interroganda, atque ubi graviditatem fateatur, obliganda erit ad rem extra Confessionem detegendam, ut in casu mortis, Infantis perditioni possit occurri, quæ cuicunque Matris infamiae præponderat: Adèò, ut si fortè ipsa recusat, juxta *Theologorum doctrinam* absolvî

[a] *Possev. de Off. Curat. c. 6. n. 10.*

[b] *Mussart. Manual. Paroch. p. 2. c. 2. n. 2.*  
*Gobat. tract. 2. bapt. cas. 8. n. 260.*

non possit. Profectò *Pontas* & *Sylvius* ita expressè monuere : [a] *Si contumaciter Filiia persistat, nolitque ulli extra Confessionem aperire; deneget ipsi absolutionem, tamquam ed indignæ prorsùs & indispositæ; cùm nolit hoc facere, ad quod sub reatu peccati mortalis obligatur.*

III. Prætereà iisdem Parochis mandamus, ut, antequam infirma Prægnans moriatur, eam visitent, ejusque Conjunctos, aliosque Domesticos ad Partum *Cæsareum*, ipsâ scilicet mortua, peragendum hortentur, illosque præmoneant ea, quæ, ut omnia feliciter succedant, necessaria existimantur. Quoniam verò, si Parochus præsentia sua rem non urgeat, grave periculum subest, ne omittatur incisio, vel saltem tardè fiat & incassum; eisdem Parochis præcipimus, ut ad finem usque operationis, adstantes cum omni solertia & solicitudine perseverent.

IV. Curabunt etiam diligenter, ut mature Chirurgus advocetur & assistat, quoisque Prægnans expiraverit. Verùm, si Chirurgus habéri non possit, ejus officium suppleat Barbitor, vel Obstetrix, qui, Physico partem secandam præsignante, saltem novaculâ incisionem perficiunt: Curabunt quoque non solum,

[a] *Pontas Diction. cas. conc. t. 1. conf. 2. casu 10. Sylvius Resolut. variar. v. sigillum 1. Decembris 1641.*

lum, ut plures in suis Parochiis peritiam hujus operationis acquirant; sed ut etiam ipsi met aliqua circa secandi modum notitiâ erudiantur: Neque deinde religioni sibi ducant, quod minùs per semetipos *Cæsaream* incisionem, omnibus aliis deficientibus, exequantur; ne Pueri scilicet anima, Divino Sangui- ne redempta, infortunium subeat perditionis æternæ: *Cum non raro contingat*, ait *Vanespenius*, [a] *nullum in Parochia inveniri*, aut *saltem hic & nunc baberi posse*, qui peritiam modumque convenientem apriendi uterum, & extrahendi Infantem habeat; oportet, ut ipsimet *Pastores*, præcipue rurales, hujus rei aliquam notitiam à perito aliquo accipiant, quā subindē, cogente necessitate, uti possint. Id etiam sapienter in Diœcesi *Catanensi* præscriptum est: [b] Imò doctrina, quam tradidit *Gobatus*, eosdem severioribus loquendi formulis ad hoc ipsum adstringit. [c] Quamvis autem *Conjuncti*, vel *Hæredes* perito secanti mercedem debeant; attamen nequibit hic sectionem omittere ob illam denegatam. Pro pauperibus verò, eam gratis ministrare tenetur; imò sub gravissima culpa sponte se ipsum offerre, etsi

Cc

[a] *Vanesp. p. 2. tit. 2. cap. 4. n. 25.*[b] *Edict. Cal. Junii 1741. suprà relat.*[c] *Gobat. tract. 2. cas. 5. n. 195. & seq.*  
*& cas. 7. n. 237.*

non vocatus, tum divitibus, tum pauperibus; etiam in solo dubio, an Fœtus vivat: Quod cum *Theophilo Rainaudo Gobatus* quoque adnotavit. [a]

V. Matre defuncta, se de morte certiores reddent, ad ipsius labia filum lini, aut lanæ, vel lumen parvæ candelæ admoventes, quibus perspiciant, utrum, quæ mortua creditur, talis revera sit, an motu indicium præbeat respirationis. Deinde os illi arundinea fistulâ, & absque nodis anteà præparata, ipsisque imposita, detineatur apertum, juxta *Coloniensis Synodi A. 1528. & Cameracensis A. 1550.* decreta: Non quasi necessarium credamus hoc ad Infantis respirationem; sed ut ventrem aër frigidior & nitidior, indè etiam utero communicandus, introeat; & ut è maternis visceribus exhalent cadaverica effluvia, quæ Infanti exiguum illum vitæ spiritum, qui durat adhuc, extinguere possent: Etenim, quando Mater expirat, Fœtus in extremo ferè mortis agone versatur: Quamobrem supervivere non solet, nisi per horam, vel horæ diuidium, nec raro etiam valde minùs. Alia quoque cautio juxta *Rainaudum* creditur expedire; uteri videlicet regio fovenda erit pannis ad ignem calefactis. [b]

[a] *Theoph. Rainaud. t. 14. de ortu Infant. per Jecl. Cæsar. c. 6. n. 22. & 23. Gobat. Append. 3. ad tract. 2. Bapt. n. 24.*

[b] *Theophil. Rainaud. dict. tract.*

VI. Itaque mandamus, operationem post mortem Prægnantis quamprimum esse faciendam: At, si non modicum tempus elapsum sit, nihilominus incisionem jubemus non omitti: Neque unquam Parochus fidet Medicis & Chirurgis, Infantem mortuum esse, testantibus; quamvis etiam eum Genitrici præmortuum asseverent: Si enim Jura [a] Mariatum vivum semper præsumunt, etsi nimis diuturna fuerit ejus absentia; & secundas prohibent Uxori nuptias; quantò magis vivi præsumendi sunt Infantuli, ut eis Baptismum conferre studeamus? Præsertim quia non raro Divina Providentia, quæ illos ab æterna morte per Baptismum liberare contendit, eosdem, contra omnium physicarum rationum apparentia argumenta, custodit incolumes. *Willelmus Fabritius, Medicus Germanus*, [b] fatetur, se in hoc negotio cum Obstetricibus aliisque post exactissimas investigationes fuisse deceptum; & nostris hisce diebus duo Infantuli, quamvis sinè arundineæ fistulæ adminiculo, unus post viginti tres horas, alias post viginti quatuor, à Matris indubitata morte defluxas, vivi inventi sunt: Præterquam quod, cùm sectio adhibetur, nihil omnino amittimus; imò verò exoptatum finem plenè

C c 2

[a] Cap. in præsentia de Sponsal.

[b] Willelmus Fabritius Hildan. fol. 1750.

consequi possumus; uti & citatus *Fabritius* & *Gobatus* [a] admonuerunt: Quocircum *præstat*, ait ille, ut potius centies secentur, eis irrito eventu, *Matres mortuæ*; quam ut eis parcendo, negligatur vita unius unici *Infantis*.

VII. Abdomen linea simplici longitudinali, non verò ad crucis figuram duplici, secunda est; ut, si fortè *Prægnans* defuncta non sit, facilius deinde sanari possit. Chirurgus autem investigabit, utrum unus reverè sit *Infans*, an duo, vel plures: Fortè namque erunt multi, ut pluribus exemplis notavit *Rainaudus*; [b] maximè cùm possibiles censendæ sint superfætationes.

VIII. In dubio, an vivat formatus *Infans*, imponatur subito ejus capiti manus, &, si pulsatio arteriarum percipitur, illico & absolutè baptizetur. *Fœtus* verò incompletus, quantumcunque parvus, & malè figuratus, dummodo motum ostendat, sub conditione baptizabitur: Nam, uti *La Croix* animadvertisit, [c] *Auctores gravissimi cum Cardenas in sua Chrysī, disputatione decima quarta, rectè dicunt, omnes Fœtus abortivos Mu-*

[a] *Gobat. in Append. 3. ad tract. 2. Bapt. n. 30.*

[b] *Rainaud. de ortu Infant. per sect. Cæsar. c. 10. n. 14.*

[c] *La Croix l. 6. p. 1. de Bapt. dub. 4. n.*

*lierum, etiam imperfectissimè figuratos, esse, conditione scilicet saltem adjecta, baptizandos, si dent aliquod signum vitæ per motum; quia putant aliqui Medici, quòd Fœtus humani post paucos, v. g. tres vel quatuor dies à conceptione, statim animentur animâ rationali.*

IX. Si quis defunctæ sectioni, licet Consanguineus, Maritus, vel Affinis, obstaret; aut peritus eam exequi renueret, etiam in casu, quo mercedis nulla spes esset; ipso jure, secura Infantis morte finè Baptismate, majorem excommunicationem incurrat. Verum Parochus, præterquam quòd illis hoc præceptum atque censuram antè denunciabit; Infantis discrimen ad Episcopum deferet: Imò ad Magistratus ipsos laicos, qui omnino ad concedendum brachium suum auxiliare tenentur, quo defunctæ Propinqui compellantur; cùm ipsæ *Paganorum* leges, tanquam in homicidas, animadvertant in eos, qui Gravidam, neglecta incisione, sepeliunt. Ita lex secunda D. D. de mortuo inferendo: *Negat Lex Regia, Mulierem, quæ mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur. Qui contrà fecerit, spem animantis cum Gravida peremisse videtur.* Quantò magis ergo apud Christianos; cùm apud eos, non de sola corporali Infantis vita, sed etiam de spirituali eidem tribuenda per Baptismum agatur? Quodsi quis hujusmodi Puer absque

Baptismo fortè perierit, Parochus, uti Doc-  
tores monent, [a] rogatis testibus de adhi-  
bita à se omni diligentia, semper ad nos even-  
tum, sub pœna suspensionis ipso facto, de-  
nunciet: In civitate quidem, infra trium die-  
rum terminum; octo verò, in Diœcesi; ut  
eos, qui officio suo defuerunt, pœnis Cano-  
nicis puniamus. Et quamvis in occultis gra-  
viditatibus omnis, quantum fieri potest, cir-  
cumspectio, quam suggeret christiana pruden-  
tia, in usum venire debeat; nihilominus nun-  
quam æterna Infantis perditio erit permit-  
tenda.

X. Insuper, ad abortus eliminandos, præ-  
cipimus, omnes, etiam extraneos, qui sciant  
Prægnantem aliquam abortum tentare, vel  
alios ejusdem abortum procurare medicami-  
nibus, vel sinè illis; aut etiam ponderibus,  
vel alio quocumque excogitabili medio, ubi  
aliter ipsi delictum impedire non valeant;  
saltem tenéri ad rem Parocho citius aperien-  
dam, si pœnam excommunicationis majoris  
ipso facto, abortu secuto, subeundam vitare  
cupiunt.

XI. Parochi declarabunt, voluntarium ab-  
ortum inter immania crimina computari; imò,  
ubi Fœtus est animatus, esse verum ac pro-  
ditorium homicidium, & immunitate eccle-

[a] Gobat. *d. tract. 2. c. 8. n. 260. & seq.*  
Muffart. *Manuale Paroch. p. 2. c. 2.*  
Possevin. *de offic. Curat. c. 6. n. 10.*

siaſtīca indignum: Scelus denique omnium, quæ contra proximum patrari possunt, præfertim à Matre, horrendissimum; cùm illum vitâ privet corporali ſimul & æterna. Ulterius, ex Bulla *Sixti V.* & *Gregorii XIV.*, [a] abortum hujusmodi procurantes, aut quoquomodo ad eum coöperantes, ipſo factō in excommunicationem majorem incidere, primò Papæ, deinde Episcopis reservatam: Quodſi illi Eccleſiaſtici ſint, in perpetuum beneficiis omnibus acquisitis & acquirendis eſſe privatos; imò degradationis reos conſtitui; qua facta, brachio ſæculari tradendi ſint, ac morte plectendi. His addent, veterem Eccleſiae disciplinam mulierem impudicam, quæ deinde abortum procuraverat, ad pœnitentiam publicam & perpetuam compuliffe; imò mandaffe, eam non niſi in articulo mortis absolvi: Concilium ſanè *Ancyranum* [b] rigorem hunc mitigaffe, decem annorum pœnitentiā contentum; verū Concilium *Eliberitanum*, paulò pōst celebratum, [c] prohibuiffe, adulteram, abortum procurantem, etiam in hora mortis reconciliari, ejus ſalutem ſoli contritionis efficaciæ, ac Divinæ Mife-

Cc 4

[a] *Sixtus V. Conſtit.* 87. Effrænatam.*Gregor. XIV. Conſtit.* 8. Sedes.[b] *Concil. Ancyran.* ſub *S. Melchiade Pa-pa Can.* 21.[c] *Concil. Eliberit.* ſub *S. Sylvestro Can.* 62.

ricordiæ committens: Quam severitatem neque contra ipsos hæreticos, magos & apostatas adhibemus.

XII. Ex adverso iidem Parochi docebunt, sensum esse gravissimorum Auctorum, Matres in partu difficiili, ubi Parvulus certò periturus esset in utero sinè Baptismo, tenèri, non solùm ad sufferendam speculi matricis operationem; sed & ipsum *Cæsareæ* incisionis dolorem, etsi cum aliquo propriæ mortis, dummodò non quasi certæ, periculo; ut integro pene tractatu probavit *Rainaudus*: Neque negligent, ubi vota sua consequi se posse sperabunt, eas ad excelsum istum charitatis actum horari.

XIII. Demùm, præsens Edictum, singulis annis in Missa Parochiali Diei Sanctorum *Innocentium*, statuimus esse legendum; quo étiam die animarum Pastores contra execrandum eorum scelus, qui Infantulos nonnatos cum Matribus defunctis perire sinunt, vel abortum procurant, declamabunt: Cujus quidem lectionis Edicti, habitæque Concionis documentum, à se subscriptum, & in Diœcesi à Vicario etiam locali, & in ejus defectu, à Presbytero seniore, sub muleta decem aureorum, quotannis ad nos infra mensem dirigere tenebuntur; & insuper ardenti zelo & charitate, eorum, quæ hic statuuntur, executioni invigilabunt. Verum, si id alicui nimis grave onus videatur; aurea sapientissimi Auctoris Manualis Parocho-

rum verba respondemus : [a] *Multa, inquies, mandas : Verum est ; sed tanti est, Infantи periclitanti Parochum non defuisse.* Datum Agrigenti tertio Calendas Augusti 1744.

## LAURENTIUS EPISCOPUS AGRIGENTINUS.

*Jussu Domini mei Episcopi  
Agrigentini.*

D. DIDACUS MODICA Cancellarius.

[a] *Manual. Paroch. loco citato.*

\* *Alia ejusmodi Edicta à praeclarissimis Siciliæ Præfulibus aliisque lata sunt, de quibus vid. Archetypum in Appendice; ubi etiam quædam afferuntur Instrunctiones &c. pro deputatione Projectorum; uti & dissertatio de Baptismate Parvulorum, qui ad Sanctuaria reviviscere perhibentur, in qua varia de incertitudine & exploratione mortis Infantulorum, fuisse & eruditè tractantur.*



\* Subnecto hic per modum Corollarii pauca, quæ, habito præsertim respectu Provinciæ, in qua Compendium scripsi, non mediocris futura existimo momenti pro urgendo ut circa Obstetrics servanda serventur.


## COROLLARIUM.

*Extractum ex Synodo Provinciali Mechliniensi II. Tit. III. Cap. VII. circa Obstetrics, Edicto serenissimorum Principum Alberti & Isabellæ, dato ultimâ Mensis Aug. 1608., & ad calcem dictæ Prov. Synodi relato, roboratum & observari jussum.*

**H**ortatur hæc Synodus & requirit omnes Magistratus singulorum locorum, ne quam ad obstetricandum Parturientibus admittant, nisi priùs à Curato loci, ubi Obstrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ Fidei habeat, professionemque Fidei coram Archipresbytero suo faciat, nec non materiam formamque Baptismi, testimonio ejusdem Curati, probè calleat: Et ultra consuetum juramentum, juret etiam, quod Infantes, à se excipiendos, quantociùs, vel saltem intra tres dies baptizari curabit; aut si, obſſtentibus Parentibus, vel Amicis, id efficere non possit, mox Pastorí loci eos denunciet.

*Prælaudati Edicti Regii Articulus VIII.*

**E**NDE om te voorkomen ende verhoeden d'abuyzen, die dikmaels geschieden in het doopen van de Kinderkens, door de kleyne experientien ende onwetentheyt van de Vroedevrouwen, ordonneren wy wel ernstelyken, dat geene vrouwen haer en zullen vervoorderen ofte begeven tot alsulken officie ende assistentie, 't en zy dat sy daer toe te vooren geadmitteert zyn by den Officier ende Magistraet der plaetsen, de welke ook de selve niet en zullen daer toe ontfangen, sonder wel onderricht te zyn van haere nutheyt, bequaemheyt, ende religie by schristelyke attestatie van den Pastor van hunne Prochie: Ende worden de voorseyde Vroedevrouwen gehouden te geloven ende zweeren in handen van den voorseyden Officier, getrouwelyk over te brengen de Kinderen, tot de geboorte van de welke sy zullen geroepen zyn geweest, ende dat aan den Pastor, daer onder sy gebooren zullen zyn, binnen den derden dag van hunne geboorte.



*Extractum ex Instructione Pastorali Reverendissimi Domini, D. FELICIS JOSEPHI HUBERTI DE WAVRANS, Episcopi Iprensis, edita 7. Januarii 1768., circa præmissorum fidelem obseruantiam in sua Diæcesi.*

### ARTICULUS LXIII.

**R**EDEUNDO ad Obstetrics, de quibus sù præ verbum diximus; cùm sæpiùs contingat, ab illis Baptismum administrari debere (quod tamen non nisi in vera & urgenti necessitate attentare possunt, & de quo proinde à Pastoribus monendæ sunt, sed admodùm prudenter, ne ipsæ aut vices earum gerentes, etiam in simili necessitatis casu Infantes baptizare non audeant, aut cum majori periculo Baptismum differant) idèque plurimùm referat, ut, non nisi probæ & in ea professione exercitatæ personæ assumantur; authoritate tam Synodi Provincialis secundæ, [a] quam Edicti Regii ad eamdem Synodus, [b] requirimus omnes Magistratus singulorum locorum, ne quampiam ad obstetricandum admittant, aut admitti sinant, nisi priùs à Pastore loci, in quo commoratur, testimonium sinceræ & Catholicæ Fidei habeat; Professionem

[a] Tit. 3. c. 7.  
[b] Art. 8.

Fidei coram Decano faciat; & ultra confuetum juramentum etiam juret, quod Infantes, a se suscipiendos, quantocius baptizari sit curationa: Quod quidem si forte, obstantibus Parentibus vel Amicis, efficere nequeat, Pastorem loci admonere debet. [a]

At, si in Pagis vel Parochiis singulis Obstetrix jurata haberi nequeat, saltem modis omnibus Pastores agant apud Magistratus, ut sit una in vicinia, quae, casu necessitatis exigente, adiri & securè adhiberi possit.

In locis, ubi Obstetrices juramentum, per Concilium *Provinciale* & Edictum Principum requisitum, nondum præstittere constiterit, eas admonebunt Pastores, ut infra terminum trium mensium, id ipsum se fecisse doceant: Si quae verò defuerint, illas per Decanum nobis denuntiabunt, quatenus tam nostra, quam Magistratum Authoritate, eas urgeamus, ut Ecclesiæ & Principum Mandatis obedient.

## ARTICULUS LXIV.

**P**Ræterea, quia experientia docet, Obstetrices, aliasve Mulieres, Infantes in necessitate baptizantes, errare, quandoque etiam circa essentialia ipsius Baptismi; Pastribus distictè injungimus, ut frequenter tum


[a] *St. sub Rith. t. 12. c. 11. Et sub Maf. t. 9. c. 11.*

in Concione, tum in Catechismo singula, ad validè baptizandum requisita, clarè ac distinctè exponant, & doceant, quibus in casibus, quā, quantaque materia, qua formā & intentione Baptismus conferri debet; ipsas præcipue monendo, ab una & eadem persona aquam infundi debere, simul ac verba formæ proferuntur: Quæ omnia his præsertim, quæ ad obstetricandum publicè admissæ sunt, aut admitti volunt, inculcare debent; utpotè quæ ad Fidei professionem & juramentum, de quibus suprà, admittendæ non sunt, nisi sub testimonio Pastoris, quod circa prædicta omnia perfectè instructæ sint. [a]

[a] *Syn. P. 2. ibid. Edict. eod. a. 8.*

*Plura id genus alia extracta ex variis Ecclesiarum Galliæ Ritualibus, item Regia Decreta in ejusdem Galliæ Regno, etiam sub pœnis gravissimis observanda, relativè ad subjectam materiam, vidéri possunt in Additionibus ad Epitomen Gallicam de Embryologia Sacra, Auctore Dño Dinouart.*





# ELENCHUS XXB RORUM ET CAPITVM.

---

## LIBER PRIMUS.

De Cura à Parochis, aliisque habenda Infantium, tum nonnatorum, ne aboriantur, vel in Matris utero extinguantur; tum etiam abortivorum, ut baptizentur.

### CAPUT I.

**D**E *Industria Parochi, ut præcaveantur Involuntarii Abortus.* pag. I

### CAPUT II.

*De Parochi, Magistratum, & aliorum Officio, quo impediantur Abortus Voluntarii.* 9

### CAPUT III.

*De Providentia Principum, & Communitatum erga Infantes projectos.*

## ELENCHUS

### CAPUT IV.

*De Medicorum in curandis Gravidis cautela,  
ne Fætui noceatur.* 30

### CAPUT V.

*De Tempore Animationis, sive quando Corpori  
infundatur Anima.* 43

### CAPUT VI.

*De Tempore Animationis Prosecutio; & quanti  
referat, illud aliaque anxiè observâsse pro  
Abortivorum Baptismate.* 57

## LIBER SECUNDUS.

*De Auxilio Infantibus nonnatis præstando,  
Matre defuncta.*

### CAPUT I.

*P*RÆgnante mortua, succurrendum Fætui  
Partu Cæfareo. Præcautiones, ut pro-  
perè succedat. 76

### CAPUT II.

*De preparandis ad Partum Cæsareum; deque  
comprobatione mortis Gravidarum.* 88

### CAPUT III.

*Praxis Partus Cæsarei Defunctorum.* 113

### CAPUT IV.

*Etsi notabile tempus à morte Matris effluxerit,  
non esse omissendam Incisionem Cæsaream,  
cùm Fætus etiam per dies integros supervi-  
vere possint, & quandoque tam vegeti, ut  
etiam sponte oriri possint.* 121

CAPUT V.

## LIBRORUM ET CAPITUM.

### CAPUT V.

*Fætus, quamquam decimo, vel nono mense minores, vivos reperiri.* 129

### CAPUT VI.

*Philosophicè ostenditur, Fætum Gravidæ morienti non præmori.* 137

### CAPUT VII.

*Quamvis, obiisse Fætum, asseverent Medici & Obstetrices; attamen Partum Cæsareum non esse prætermittendum.* 143

### CAPUT VIII.

*Parochus neque defunctæ Necessariis, neque Chirurgis, neque suis Adjutoribus, neque aliis fidere debet, si verè salutem cupit Infantorum.* 149

### CAPUT IX.

*De Officio Magistratum Ecclesiasticorum & Sæcularium, in promovendo Partu Cæsareo, cogendisque defunctæ Propinquis ad illum permittendum.* 156

### CAPUT X.

*Peritis, cæterisque deficientibus, charitatem urgere quemlibet alium, etiam Sacerdotem, ac maximè Parochum, ad Partus Cæsarei ministrationem.* 160

### CAPUT XI.

*Utrum incidendæ Prægnantes, graviditate incipiente; vel ubi ea solitum tempus exesserit.* 168

### CAPUT XII.

*Abortum procurantes, partumque Cæsareum negligentes vel impedientes, plurim nonnumquam homicidiorum reatu fœdari. Mōnitiones ad Obstetrices & Chirurgos, ut inquirant, utrum Fætus sit unus, an multiplex.* 172

## ELENCHUS

# LIBER TERTIUS.

De Officio à Parochis aliisque exercendo,  
respectu Infantum in Partu difficili  
& desperato.

## CAPUT I.

**D**e Partu difficili & Cæsareo Gravida-  
rum viventium. 179

## CAPUT II.

In Cæsareo viventium Partu non solum Ab-  
domen; sed & Uterum feliciter incidi so-  
litum. 190

## CAPUT III.

Quando Partus Cæsareus in vivente proban-  
dus, vel improbandus. 199

## CAPUT IV.

De Matris circa sustinendam sūl incisionem;  
& Parochorum, Medicorum, Chirurgorum-  
que, eam ipsi tum præscribendi, tum respec-  
tivè exequendi, obligatione. 216

## CAPUT V.

In Partibus difficultibus posse ut plurimum in  
utero ipso Parvulum baptizari; & bujus-  
modi Baptismum esse validum. 223

## CAPUT VI.

De Monstris Baptizandis. 233

## CAPUT VII.

Nascentes Pueros frequenter mortuorum specie  
apparere, licet reverà mortui non sint. 242

## LIBRORUM ET CAPITUM.

### CAPUT VIII.

*Parvulos nascentes Asphyxiā crebrò corripi ex defatigatione in nascendo, quocumque modo nascantur; eosque in Asphyxia vitam præ natis facilius retinere.* 250

### CAPUT IX.

*Signa mortis in nascientibus esse regulariter incertissima.* 259

### CAPUT X.

*Remedia tentanda pro Parvulis, qui mortuorum speciem imitantur.* 266

### CAPUT XI.

*Utrum Baptismus conditionatus conferri possit Infantibus, de quibus juxta dicta suspicari possumus asphyxiā detinéri?* 270

---

## LIBER QUARTUS.

*De Dei Charitate erga Nonnatos, deque auxiliis, quæ illis à Parentibus, Parochis, Episcopis, & Principibus præstanta sunt.*

### CAPUT I.

**Q**uomodo Deus Parvulis in utero clausis media ad salutem æternam providerit. 275

### CAPUT II.

*Quæ Parentes pro salute Filiorum nonnatorum agere oporteat? & utrum aliquod admittendum sit sanctificationis remedium pro Infantibus utero penitus circumdatis, & ante orum morituris?* 285

# ELENCHUS LIBRORUM ET CAPITUM.

## C A P U T I I I.

<i>De Parochorum vigilantia in Obstetrics, de- que ipsarum examine; ubi pleraque, quæ sparsum &amp; fusi in hoc Opere sunt dicta, summatis repetuntur.</i>	291
§. I.	
<i>De Persona baptizatura.</i>	293
§. II.	
<i>De Tempore baptizandi.</i>	295
§. III.	
<i>De baptizantis Intentione.</i>	297
§. IV.	
<i>De Persona baptizanda.</i>	298
§. V.	
<i>De Materia Baptismi.</i>	302
§. VI.	
<i>De Forma.</i>	Ibid.
§. VII.	
<i>De Applicatione formæ ad materiam.</i>	303
§. VIII.	
<i>Monita occasione examinis danda Obstetrici- bus.</i>	304

## C A P U T I V.

<i>Baptismatis domi, ab Obstetricibus præsertim collati, validitatem esse diligentissimè discu- tiendam.</i>	312
--	-----

## C A P U T V.

<i>De necessaria Principum &amp; Episcoporum Vi- gilantiâ pro Nonnatis.</i>	325
---	-----

## C A P U T V I.

<i>Sancti Francisci Salesii exemplo Ecclesiæ Mi- nistri, præsertim Episcopi &amp; Parochi, ad procurandam nonnatorum salutem accendun- tur.</i>	343
---	-----

<i>Oratio Sancti Francisci Salesii, recitanda à Prægnantibus, ex Libro tertio Epistolarum Spiritualium, Epistolâ octogesima tertia.</i>	348
---	-----



# APPENDIX.

## MONUMENTUM I.

**S**ancti Caroli Borromaei, Archiepiscopi Mediolanensis, Benedictio Mulieris Gravidæ, præsertim de cuius infelici partu timetur. 351

## MONUMENTUM II.

Oratio pro Infantibus nonnatis, vel non baptizatis, propter quam quadraginta dierum Indulgentiam toties, quoties in sua Diœcese recitabitur, concessit Archiepiscopus Panormitanus. 354

## MONUMENTUM III.

Recens Pragmatica Sicula de Partu Cæsareo & Abortu. 355

## MONUMENTUM IV.

Edictum Archiepiscopi Panormitani, primi in Siciliæ Regno Metropolitani. 368

## MONUMENTUM V.

Edictum PETRI GALLETI, Episcopi Catanensis, & Inquisitoris Generalis, de Partu Cæsareo & Nuptiali Benedictione. 374

## MONUMENTUM VI.

Edictum Episcopi Agrigentini pro Mulieribus gravidis & moribundis. 382

COROLLARIUM. 394

# CENSURA ORDINARII.

**A**ttentè legi manuscriptum, cui Titulus: *Sacra Embryologia: Sive de Officio Sacerdotum, Medicorum, & aliorum circa æternam Parvolorum in utero existentium Salutem, Libri quatuor, Auctore ac Interprete FRAN. EMMANUELE CANGIAMILA, S. T. & U. J. D., in Compendium redacti:* Factaque collatione cum Archetypo, reperi, Breviatorem exactè implevisse suum *Monitum ad Lectorem*; ac proinde, dictum Opusculum succinctè continere, quæ à Fidei & Religio- nis integritate, à charitate & zelo salutis ani- marum, Infantorum præsertim in utero vel partu periclitantium, per varios Ecclesiæ An- tistites, quin ipsum BENED. XIV. Pontificem Maximum, aliosque Viros præclarissimos, in ipso Auctore prælaudato, summoperè com- mendari meruerunt: Quarè, illud dignissimum censeo, ut quamprimum in lucem prodeat, fortè quantò contractius, tantò futurum gra- tius, aut etiam utilius.

Datum IPRIS 1. Die Mensis Julii 1775.

*J. B. VAN ROO Eccl. Cath.  
Can. Pœnit. Librorum Cens.*

**U**Tiliter reimprimi potest. Datum  
GANDÆ hæc 25. Julii 1775.

*J. F. DIERICKX Lib.  
Cens. Reg.*

